DE

HENRICO VI

ROMANORUM IMPERATORE,

NORMANNORUM REGNUM SIBI VINDICANTE

SCRIPSIT

THEODORUS TOECHE
PHILOS. DR.

BEROLINI.
TYPIS E. S. MITTLERI ET FILII.
MDCCCLX.

LEOPOLDO RANKIO

PRAECEPTORI OPTIMO

PIE COLENDO

S A C R V M.

CAPUT I.

De nuptiis Henrici VI.

Normannorum regni occupatio, quam primum meditatus est Fridericus I, summa vi et constantia molitus est Henricus VI, ad finem feliciter adduxit Fridericus II, magni in patria historia momenti est. Fortitudo et magnus imperatorum Staufìcorum animus in hac re clarissime exsplendet, eademque fuit eorum interitus caussa. — Itaque quae fuerit origo illius occupationis, quomodo concepta et facta sit, breviter enarrabimus, incipientes a nuptiis inter Constantiam, illius regni heredem et Henricum VI a. 1186 celebratis, et deducentes historiam ad coronationem, qua Henricus VI a. 1194 rex Siciliae Panormi factus est. — Nec tamen totam illorum annorum historiam plane enarrandi, neque de singulis levioris momenti rebus, ad occupationem regni spectantibus, copiose lateque agendi hic nobis facultas datur, sed speramus, fore ut alio loco exponendi ea, quae hic adumbramus, potestas nos non deficiat. Illud in animo est, consistere potius in iis narrandis perlustrandisque, quae magni in hac re erant momenti ad statum rerum immutandum et ad discrimen effectumque adducendum. Illa distincte et clare, ut possumus, proponamus.

Ac primum quidem disserentes nos de nuptiis Henrici VI agere necesse est de caussis, quibus motus Fridericus, ut matrimonium inter Henricum et Constantiam conciliaret, operam dederit. Vulgo in ea sententia sunt viri docti, ut Fridericum I, pugna apud Lignianum commissa et pace Constantina facta, omnino de rebus Italicis desperasse et modo, ut quietum teneret imperium, curasse putent. Certe de conatu Lombardiae civitates suae ditioni subiiciendi easque regendi, sapienti usus moderatione, destitit. Attamen omnino de rebus Italicis numquam desperavit. Magnus eius in conci-

piendis et efficiendis consiliis animus, qui primis eius regni annis praelucet, idem in postremis conspicitur, neque ullo modo potuit fieri, quin eas, quas per tot discrimina secutus est ac defendit rationes et contentiones, per totam vitam fortiter et constanter sequeretur. Perlustrantibus nobis historiam postremorum Fridericiani regni annorum, qualis intercesserit imperatori cum filio Henrico vicissitudo, quaerere summi momenti est. Videmus enim Fridericum non modo, ut succederet sibi filius in imperio, curasse, sed etiam semper eum ita instruxisse perspicue intelligimus, ut ille easdem rationes, quas ipse defenderat, sequens, omnino sibi similis imperium gubernaret. Fuit Friderico post infaustum rerum in Lombardia exitum, quoad vixit, contentio, ut quae ipse consequi et finire non potuisset, filio postea succederent, et ita etiam post ipsius mortem eadem peterentur et tandem obtinerentur, quae ipse tanto opere per totam vitam frustra erat persecutus. Quare numquam Fridericus, quae per tot annos tantaque discrimina expetiverat, omisit, sed potius modum rationemque adipiscendi mutavit.

Filium admodum puerum regem creandum curaverat et eum simulatque adolevit, imperii negotiorum participem fecerat. Admodum puer vocatur in diplomatibus patris [1]). Exstant diplomata, quae Fridericus una cum filio dedit [2]). Plurima acta publica et imperatoris et regis nomine facta sunt [3]). Asservantur nummi et im-

---

[1]) 3 Ian. 1180 in dipl. Frid. I. d. apud argentinensem civitatem: „testis est Henricus, Romanorum rex augustus." — De quo Fridericus in eod. dipl. dicit: „ex conscientia et consensu filii nostri Henrici Rom. Reg. Aug. — statuimus." — Schannat, ep. Wormat. II. probat XCI. p. 84.

20 Iun. 1183 apud Constantiam testis est: „Henricus rex filius imperatoris." Dipl. ined. Frider. I. citatum apud Stälin, Wirt. Gesch. II, 279. 332. 409. 510. 589 et apud Stillfried, Mon. Zoller. I. XXXIV.

14 April. 1189 Hagenau: „predilectus filius noster H. illustris Rom. Rex Aug." testatur in dipl. Frid. I. — ap. Würdtwein, nov. subsid. XII. 118.

[2]) a. 11 Febr. 1186 Paviae Frider. I. et „Henricus illustris Romanorum Rex Aug." investiunt Bernardum ep. Parm. de Castrignano. Ughelli It. Sacr. I. 172. (fals. temp. notans.) Affò Parma II. 392. —

b. sub eod. dat. iidem concedunt Guidoni de Rogleriis Felinum. Affò Parma II. 393.

[3]) a. Pax Venetiis facta incipit: Nos Fridericus — et Henricus filius nostera. — Romuald. Salern. 238. (Murat. SS. VII.) „Legati Guilelmi regis Siciliae ex mandato Papae et Imperatoris ad Castellum Gayvae advenerunt, ubi Imperatrix cum Henrico rege filio suo morabatur. Ibi Verdensis ep. iuravit, quod Rex Henricus pacem — observaret." Ibid. 239.

b. 4 Febr. 1183 urbs Terdona subiicit se imperatori eique et regi Henrico fidem urat. Mon. Germ. IV. 166.

peratoris et regis faciem ostendentes[4]). Ab anno 1184, postquam in curia Moguntina, quam nulla in patria historia splendore et sollemnitate aequat, gladio cinctus est Henricus, patre in Italia commorante, res imperii gubernat, ius dicit, bella gerit[5]). Traduntur nonnulla, quae Henricus illo tempore suo arbitrio fecit, imprimis gravia superbiae adversus clericos exempla. Attamen semel modo Fridericum has res improbasse et vituperasse audimus, neque a vero alienum videtur, si Henricum, de his rebus patris sententiam bene scientem, nec de tacita eius comprobatione dubitantem, talia fecisse putamus[6]). — Diplomata illo tempore ab eo data, quanta

---

c. Iul. 1188. dipl. epi Firmani exit: regnante Frid. et filio eius rege Heinrico. Ughelli It. Sacr. II. 695.

d. Quum Fr. imp. Cremonam in gratiam recepisset, praecepit, ut legati civitatis ad Henricum mitterentur, ut ei quoque se subderent. D. d. 6 jul. 1186. Murat. Ant. Ital. IV. 471. Lünig, Cod. Ital. I. 393. cf. itinerarium in append.

e. . . . . dipl. Hermanni II. ep. Monasteriensis exit: regnante glorioso R. Imp. Friderico; regni filii ipsius Henrici regis illustris anno tertio. Niesert, Münst. Urk. Samml. II. 259. Erhard, Reg. Hist. Westph. II. 186.

f. . . . . 1186. Abbatis Sifridi de Herschfeld dipl. finitur: regnante imp. Fr. et filio eius Henrico. Schultes, direct. dipl. I. 318.

g. . . . . 1188. Hermanni II. Monast. ep. dipl. signatur: Regn. glor. rom. imp. Fred. semper aug. et coregnante sibi serenissimo filio suo Heinrico rege illustri. Niesert M. U. S. IV. 161. Erhard R. H. W. II. 198.

h. . . . . 1188. Philippi Colon. aep. dipl. exit: regn. Frid. Rom. imp. aug. et filio eius rege Henrico. Günther, Codex Rheno-Mosell. I. 455. Erhard R. H. W. II. 194.

i. . . . . 1190. finitur dipl. Conradi II, Wormat. ep.: praesidente Romanae sedi Clemente. Imperante Friderico R. I. Regnante filio eius Henrico Rom. Rege Aug. et nobilissima coniuge eius Constantia Augusta. Schannat, ep. Wormat. II. 87. Multa alia eiusmodi dipll. possunt adiungi.

4) Exstant 1) ap. Cappe, die Münzen der Kaiser und Könige des MAs. Dresden 1848 — 57. Tom. I. 143. 2 numm., II. 22. 15 numm., III. 115. 2 numm. — 2) ap. Goetz, Deutschlands Kayser-Münzen des MAs. Dresden 1827 p. 88, No 382—401: 20 numm., in quibus invenitur pater dextra, sinistra manu filius sceptrum tenens, vel ambo idem sceptrum tenentes. Pater et filius in aliis sedent coronati, orbem terrarum tenentes.

5) 1184. expeditionem facit contra Polonos. Ann. Aquens. 687. (Mon. Germ. XVI) et al.

26 Iul. 1184 Erphordiae pacem facit inter Ludovicum, Thuring. landgr. et Conradum, aep. Moguntinum. Annal. Argent. 1184. — Hist. landgr. Thur. 329 (ap. Eccard I. a) — Ann. Rheinhardsbr. (ap. Wegele I.) et al.

1184 Trevirorum fines vastat. Vid. infr.

6) Godfr. Colon. 1184 (Böhmer FF. III.) et Arnold. Lubec. III. 16. — Alterum exemplum v. Ann. Aquicinct. 538. (Bouquet, Receuil XVIII.) Anselm. Gemblac. ad 1186 (Pistorius SS.) Cf. Epist. Innoc. III. ed. Baluze I. 697. Numquam, nisi cum contra Trevirenses expeditionem fecisset et papa de hac re valde iratus esset, reprobavit

eius fuerit potestas, optime demonstrant[7]). — Videmus igitur contrariam eius fuisse cum patre vicissitudinem, quam quae postea Henrici (VII) fuit cum patre. Henricus VI rex omnia fere ex sua potestate fecit. Henrico (VII) pauca modo sine assensione et comprobatione patris constituere licuit.

Quibus patefactis, quum, quae Fridericus postremis sui regni annis voluerit, quae petierit, clarius elucent, tum Henrici VI, quem tot scriptores tantopere severum et crudelem accusarunt, indoles et ingenium rectius iudicatur, quum videmus, eum a iuvenili aetate in certaminibus gravibusque imperii rebus versatum, consiliorumque et contentionum patris conscium fuisse et socium studiosissimum[8]).

Auctumno a. 1184 Fridericus imp. cum Lucio papa Veronam convenerat, ut de quibusdam controversiis cum eo ageret, praecipue de sede archiepiscopali Trevirensi, tunc vacante. Mortuo a. 1185 Arnoldo archiepiscopo ab altera capituli parte Volmarus de-

---

Frider. filii res gestas. Gesta aep. Trevir. 213. (Bouquet, Rec. XVIII.) — Chron. episc. Metens. 231. (Dachery spicil. II, nunc ed. in Mon. Germ. VIII.)

7) Diplomata Henrici ante coronationem imperialem data collegimus LXXIX, ex quibus *omnia* eum imperii negotia tractasse et *omnia* maiestatis iura exercuisse luce clarius demonstratur. Quare non potest constitui et distingui, quae obvenerint Henrico, quae Fridericus imperator sibi servaverit negotia.

8) Miro ingenii acumine Abelius, quae fecerit Henricus VI, quae voluerit, et praeclare proposuit et primus gravissimos errores, qui de Henrico VI vulgati sunt, removit. Quare quo quis intentius huius aetatis historiam perscrutatur, eo magis Abelii sententiam probabit. — Collegit iudicia auctorum de Henrico. (König Philipp 300.) Quae eum fugerunt, hic collocamus:

Reineri chronicon contin. Lambert. ad 1197. (Mon. Germ. XVI.) Obiit Henricus magnificus Romanorum Imperator, vir iuvenis quidem etate, sed summae felicitatis et prudentiae, qui in diebus suis regnum cum imperio tenuit Apuliae et Siciliae.

Annal. Aquicinctenses 550. (Bouquet, Receuil XVIII.) Statura personalis non fuit, sed literatura eius, magnanimitas, iustitia et prudentia pulchritudinem Absalonis superavit. Luget mundus mortem eius, Syria, Apulia, Sicilia, Calabria, Africa, Italia, Alemannia, Saxonia, Bajoaria, Suevia, Frisia, Austria, Lotharingia, nam omnes de eius morte sunt turbati.

Richerius hist. abb. Sennonensis 3. 9. (Böhmer FF. III. 33.) Henricus satis apte, quoad vixit, imperatoria gubernacula gubernavit.

Oliveri hist. reg. Sctae terrae LXV. (Eccard SS. II.) Princeps valde discretus et lingua latina competenter eruditus.

Adde Chron. Engelhus. 1111 (Leibniz SS. I.) et Chron. de St. Denis II. 5 (sequens Rigordum 34) ap. Bouquet XVII.

canus, ab altera Rudolphus prepositus electus erat. Hunc papa, illum imperator adiuvit[9]). Quum autem neque imperator neque apostolicus de sua sententia vellet decedere et diiudicatio differretur, interea Henricus rex in fines Trevirorum invaserat, et omnia vastans eos, qui a Volmari partibus stabant, ex urbe expulerat, eorum domos diruerat, bona diripuerat. Cum etiam Coloniensem archiepiscopum eodem tempore graviter offendisset, is, iam diu imperatori infestissimus, de rebus a rege commissis queribundus ad papam scripserat[10]). Cum igitur, quod iam diu optaverat, imperator eo tempore a papa peteret, *ut filium Henricum imperatorem coronaret*, papam propitium minime habuit. Recusavit illud papa dicens „non posse simul duos imperatores imperare." Quod ex sententia quorundam cardinalium et principum eum dixisse, auctor quidam illius aetatis tradit; et facile credamus, Philippum Coloniensem archiepiscopum et eos, qui cum illo consentientes Friderico infesti erant, hoc papae suasisse[10a]). Semel modo tale aliquid factum erat ab Ottone I, qui filium, dum ipse vivebat, imperatorem coronandum curaverat. Tentatum vero ab omnibus fere imperatoribus est, ut hereditariam redderent imperialem potestatem; imprimis autem Friderico, qui semper studebat, ut filius summae potestatis particeps esset, hoc maxime cordi esse debuit.

---

9) V. Ann. Aquicinct. 588. Godfr. Colon. 452. Arn. Lubec. III. 10. 5. — Imprimis Gesta aep. Trevirens. 2210. Nr. 97. sqq. (ap. Bouquet XVIII. et al.) et Gesta ep. Metens. (Mon. Germ. XII.) 546. Qui fontes optime statum rerum in Germania et Philippi Coloniensis cum papa societatem ostendunt.

10) Arn. Lub. II. 11. — Godfr. Colon. 452. — De Philippo vide auct. catal. aep. Colon. apud Böhmer FF. II. 277, qui de eo optime loquitur.

10a.) De hoc Friderici conatu referunt:

Arnold. Lubec.: inter plurima negotia agebat Imperator cum Apostolico de filio suo Rege, ut coronam Imperii super caput eius poneret. Et quia eum placabilem non habebat, consecrationem illius occasionibus differebat, quam tamen non sine ratione refellebat. Dicebat enim Apostolicus, non posse simul duos Imperatores regnare, nec filium Imperialibus insigniri, nisi ea ipse prius deposuisset.

Albert. Stadens. 350. (Mon. Germ. XVI.) Lucius papa desiderabat coronare et consecrare Henricum filium imperatoris. Sed est a quibusdam impeditus cardinalibus.

Godfr. Colon. p. 452 ad 1185: filius imperatoris insolenter agere et res alienas diripere cepit (scil. vastat. Trevir. fin.). Unde crebra querimonia ad patrem et demum ad apostolicum elata est. Unde cum imperator vellet, ut imperiali benedictione sublimaretur, fertur papa respondisse ex consilio quorundam principum et cardinalium, non esse conveniens, duos imperatores preesse Romano imperio.

Cf. Muratori annali 1184. Godofredi testimonium omnium gravissimum et fide dignissimum est.

Quo gravius iratus imperator, quod hac spe deceptus esset, discessit Verona et omnem cum papa consuetudinem sustulit.

Hoc tempore, cum gravissimae ei cum papa inimicitiae intercederent, consilium cepit, quo sine certamine obtineret, quae per totam vitam tot ac tantis bellis tantaque omnium virium contentione fustra tentaverat — constituit enim Henrico filio in matrimonium dare Constantiam, Normannorum in Italia regni heredem. Iam antea aliquid simile tentaverat, Guilelmo II Siciliae regi filiam suam collocare cupiens. Guilelmus vero, obtemperans admonitionibus Alexandri III, se iungere cum hoste sanctae ecclesiae recusaverat[11]. Non vano gloriae studio aut terras occupandi imperiique fines proferendi cupiditate ductus iterum eiusmodi consilium cepit. Si regnum Normannorum in suam potestatem redegisset, firmasset imperatorum in Germania auctoritatem totamque Italiam sibi subiecisset. Etenim papa ab utraque parte imperatoris terris inclusus, i. e. ducatu Spoleti et terris comitissae Mathildis ab altera parte, ab altera Normannorum regno, imperatori amplius resistere vix potuerat. Lombardiae civitates, inter Germaniam et terras Mathildis sitae, imperatori tanta potentia freto obtemperare coactae essent. Quae igitur bellis, quoad regnavit, gestis efficere non potuisset, ea his nuptiis esset consecutus.

Neque primus Fridericus illud consilium cepit. Idem tentaverant Ottones, qui iure, quod affinitate cum imperatoribus Byzantinis nactos se esse praedicabant, meridionalem Italiae partem sibi vindicarant. Otto II inter bella ad obtinendas illas terras gesta mortuus est. Cum vero vi et armis subiicere eas toties frustra tentatum esset, Conradus II Normannos, qui et auxilium Graecis ferentes et discordiis, quibus Langobardorum principes illic regnantes sese insectabantur, usi sedes in Apulia nacti erant, de locis quibusdam Apuliae infeudavit, fore, ut hoc modo summam harum terrarum potestatem sibi suisque successoribus servaret, sperans. Attamen cum Gregorius VII Rogerium Guiscardum de Apulia et Calabria et Sicilia, quam postea sibi subiecit Rogerius, infeudasset; cum Rogerius II rex ab Anacleto II coronatus esset, illis terris imperatores privati sunt, et quos amicos sibi putarant,

---

11) Romuald. Salern. 214. (Murat. SS. VII.)

ii ipsorum inimici et fidelissimi paparum fautores et defensores facti sunt.

Illud igitur a magnis imperatoribus traditum denuo molitus est Fridericus I, et qui in ceteris rebus maximorum imperatorum contentiones suscepit, idem in hac re eos secutus est. Quantum igitur efficiendum proposuerit filio, eius cum Normannorum regni herede matrimonium constituens, iam ante oculos est.

Constantia fuit filia Rogerii II regis, Guilelmi I soror, amita Guilelmi II tunc regnantis. Nata fuit posthuma a. 1154, undecim igitur annis maior quam Henricus[12]). Quum Guilelmo II, qui Johannam, Henrici II, Angliae regis, filiam uxorem duxerat, liberi non essent, ultima fuit stirpis Normannorum regnique Guilelmo mortuo heres.

Guilelmus quidem rex libenter propositionibus Friderici annuit, sed inter duos viros, in regno potentissimos, magna de hac re fuit contentio, altero nuptias improbante, altero iis favente.

Quorum alter fuit Matthaeus de Aiello (s. Ayello) Salernitanus, vir prudens et astutus, a iuvenili aetate in insidiis et dolis curiae versatus. Proavi familiae venerant pauperes Carthagine Salernum. Guilelmo I regnante Matthaeus diutissime fuerat notarius et Maionis cancellarii et admirati Guilelmi I familiaris. Occiso Matthaei Bonelli opera Maione Matthaeus cum aliis captus et tam-

---

12) Rogerius, Constantiae pater, 26 Febr. 1154 mortuus erat. Cet. vd. stemma in append. — Henricus VI a. 1165 natus erat. God. Colon. 438. — Chr. S. Petrin. Erphesford. 23. (M. G. XVI.) — Ann. Aquens. 686. (ibid.) — Incredibiles sunt fabulae, quae de Constantia narrantur, plurimaeque tam ineptae, ut eas denuo refutare supervacaneum sit. Quae tamen iterum atque iterum et a viris doctis repetitae, nostris etiam temporibus, quod vix credi potest, vulgo inveniuntur. — Fabula, eam fuisse monacham (Ughelli I. S. I. 113. — Pirri SS. Chronol. p. XXVI. — Dante, parad. III. 109—120, al.) a recentioribus una fere omnium voce redarguta est. (Baronius, ann. eccl. ed. Mansi XII. 862. — Giulini, memor. di Milano VII. 31. — Meo, ann. di Napoli ad 1186. Nr. 3 sqq.) Imprimis vir doct. Meo tam acute de hac re disseruit, ut Huillardi coniectura (Recherches sur les monuments de la maison de Souabe), fuisse eam educatam in monast. S. Salvatoris Panormi, nondum vero professam esse, supervacet. Facere non possum, quin ridicula illa afferam, quibus nostrae aetatis auctor *historiam* scribens Constantiae speciem depingit: — „son teint était encore d'une extrême blancheur; de beaux cheveux blonds ornaient son visage; elle joignit à un extérieur agréable des manières aisées et remplies de jeunesse" (!!) Cherrier, hist. de la lutte des papes et des émp. de la maison de Souabe. Paris 841. I. 244. — Similia ap. Godfr. Viterb. Pantheon 462. (Murat. SS. VII.) — Chr. Sicul. 778. (Mur. SS. III.)

Cum viri nostrae aetatis tanta cogitationis ubertate historiam exornent et, quae scriptores non idonei suo arbitrio addiderint, recipiant: quis miretur, quod nostris etiam temporibus de his rebus tantae fabulae vulgo iactantur?

quam si scelerum Maionis fuisset conscius, in carcerem coniectus est. Postea vero non modo in pristinum munus restitutus est, sed etiam regis consiliis semper interfuit et omnia regni negotia usque ad regis mortem moderatus est. Guilelmo II eodem modo fuit familiaris. Denique, ut erat vir rerum aulicarum peritissimus, ad cancellarii munus evectus est[13]).

Alter fuit Panormitanus archiepiscopus, Gualterius Offamiglia (Ophamile), Anglus natione, qui humili loco natus ab Henrico II, Angliae rege, in Siciliam missus erat, ut Guilelmi II pueri, sponsi Johannae, Henrici II filiae, esset praeceptor. Primum Agrigenti decanus, ubi Guilelmus II rex factus est, non modo auctoritatem, qua antea apud discipulum plurimum valuerat, servavit, sed favente rege totius regni capitalis archiepiscopus factus est[14]). Cum autem Matthaeus cancellarius a curia Romana impetrasset, ut a Panormitana dioecesi Mons Regalis seiungeretur et episcopatus, qui ex nullo penderet, ibi constitueretur, Gualterius acerbissimo contra eum odio exarsit. Quare cum Matthaeus, Friderico imperatori favens, Guilelmo II suaderet, ut matrimonio Henricum cum Constantia iungeret, archiepiscopus eorum sententiam secutus est, qui illius coniugii adversarii erant. Ita illi viri, ut fieri solet, privatis inter eos discordiae caussis ortis, mox duarum factionum duces facti sunt, quarum altera omnes externos a regni gubernatione arcere et praecipue Theutonicorum auctoritatem, ut veterum Normannorum

---

13) Romuald. Salern. 209. (Mur. SS. VII.) — Hug. Falcand. 272. 280. sqq. (ibid). Petrus de Ebulo, in carmine, quod scripsit de motibus Siculis, multa optime tradit, quippe qui omnia ipse viderat, saepe vero Henrico VI, cui obtulit opus, blandiens, pervertit quae facta sunt, omnia in laudem imperatoris componens. Quare odio contra Matthaeum motus ingentia de eo refert I. 164. Cf. 140. 608. — De Petro eiusque carmine alio loco copiosius disserere in animo est. Sententiae de eo adhuc prolatae valde discrepant. Primus ed. carmen v. d. Engel Basil. 1746. 4o. — Postea receptum in Raccolta di varie croniche appartenente alla storia del regno di Napoli 1780. 4o. Tom XI. — Nuper denuo ed. et adnot. illustr. a v. d. Gius. del Re, Cronisti e scrittori sincroni Napolitani. Nap. 845. 8o. — Scripserunt de Petro editores in praeff., Salvator de Renzi, Collectio Salernitana. Napoli e Monaco 852. 8o. I. 286 sqq. II. 780. sqq. — Soria, Memorie storico-critiche degli storici Napolitani. Nap. 1781. 4o. I. 216. — Di-Blasi, Storia del regno di Napoli. Palermo 846. 8o. II. 279b. — Meo, annali di Napoli XI. 112.

14) Romuald. Salern. 209. — Rich. S. Germ. 969. (Mur. SS. VII.) — Pirri Sic. Sacr. I. 103. 699. — „Walter was probably the son of a miller, as his surname implies. „Ofamilio, come divessimo noi" says Caruso (Bibliotheca historica. II Tom. Panorm. 1723); del molino „Walter of the mill". Knight, the Normans in Sicily. London 838. 8o p. 78.

hostium excludere studuit; altera cum eos admittere, tum Henricum regem legitimum regni heredem ab omnibus agnosci voluit. Tunc vicit cancellarii sententia. Certe Lucius nuptias sibi tam periculosas impedivisset, nisi eo ipso tempore subito mortuus esset, d. 25 nov. 1185[15]. — Sane eius successor Urbanus, prius Humbertus Cruvellus, Mediolanensis archiepiscopus, eandem semper fortitudinem et vim praestitit quam Lucius, fuit etiam imperatori inimicus, quia ille in expugnatione Mediolani eius cognatos ceperat et severe punierat,[16]) sed priusquam in hac re, quid sibi agendum esset, constituere potuerat, Constantia regi desponsata est[17]) et iter suscepit, preciosissimam ditissimamque secum dotem ducens.[18]) Usque ad regni fines barones eam prosecuti sunt. Reate per legatos Henrici regis excepta est. Et ipse imperator obviam progressus, eam comitatus est.[19]) Mense octobri 1185 Papiam in-

15) VII. Cal. dec. Anon. Cassin. 50. (Mur. SS. VII.)
Vitae pontif. 876. (Mur. SS. III b) et al. — Vir cl. Raumerus II. 215. (ed. 3.) Constantiam post Lucii mortem desponsatam dicit. Quum vero Constantia iam aestate 1185 iter fecisset ad nuptias, eam sub Lucii pontificatu desponsatam esse sequitur. Cf. adn. 19.

16) Vitae pontific. 876. (Mur. SS. III b) — Gesta aep. Trevir. 672. (Bouquet XVIII.) — Murat. annali ad h. a. et al.

17) Legati a Guilelmo rege in Germaniam missi sunt, ubi Henricus versabatur, et Augustae Vindelicorum Constantiam Henrico spoponderunt. Ann. August. minor. (M. G. X. 9.) ad 1185: Filio imperatoris Heinrico regi Constantia filia Siculi regis Augustae in palatio episcopi 4 Kal. Nov. iuramento firmatur. Sequenti anno nuptiae Mediolani celebrantur. — Errasse auctorem ex eo satis intelligitur, quod iam medio anno 1185 Constantia ad nuptias profecta est, et quod diplomate a Lacomblet Urkb. d. Nrh. I. 848 edito Henricum 25 oct. 1185 Aquis fuisse constat. — Ann. Argentin. dicunt: (Böhmer FF. III. 81) ad 1184: Interea Rex Heinricus curiam apud Augustam civitatem Recie habuit, ubi desponsavit Constantiam filiam regis Apulie. — O. Abel (Kg. Philipp 298.) iis plane assentitur, eo modo illa testimonia coniungens, ut Constantiam d. 29 oct. 1184 Henrico sponsam esse dicat. Quae vero Ann. Arg. ad a. 1184 narrant, partim ad a. 1185 referenda sunt, partim nullo temporis ordine observato proferuntur. Eoque minus a. 1184 desponsatam fuisse Constantiam credimus, quum illo tempore imperator omni modo, ut papam sibi reconciliaret, operam daret; neque antequam Verona, ubi de concordia cum papa egit, pace non impetrata discessit, eum de matrimonio Constantiae, quo gravissime papam offendit, egisse ullo modo credere possumus. Quare post oct. 1184 et ante aestatem 1185 sponsam esse Henrico Constantiam per legatos Augustae arbitramur.

18) habuit ex ea plus CL equos honeratos auri et argenti et xamitarum et paliorum et grisiorum et variorum et aliarum bonarum rerum. Chron. Placent. ed. Huillard-Bréholles. Paris 856. 4° p. 11.

19) Exstat tabula marmorea in cathedrali Reatina, hancce inscriptionem ostendens: An. MCLXXXV. Ind. III. mense Aug. die XXVIII. temporibus Lucii III. P. P. et Friderici Rom. Imperat. et Benedicti Reatinae Sedis Episcopi et Conradi Ducis Spoleti,

travit. Henricus, qui per totum tempus in Germania commoratus erat, patre absente imperium gubernans, initio ianuarii Alpes transgrediens, Mediolanum properavit.[20]) Ibi nuptiae die 27 ian. 1186 celebratae sunt.[21]) Fridericus, qui „rogantibus Mediola-

---

Rex Henricus, filius eiusdem Imperatoris, recepit Reate Reginam Constantiam filiam Rogerii Regis Siculi in uxorem per legatos suos, cum maxima multitudine Principum et Baronum. Ughelli I. S. I. 113. (ed. pr.) — Chron. Placent. ed. Huillard 11 sq.: „circa Kalendas julii imp. ivit cum Theothonicis et cum aliquantis Lombardis ad accipiendum dominam Constanciam — in nurum et uxorem Anrici regis. — Die veneris XV. Kal. nov. — domina Constantia regina sponsa regis Anrici intravit Placentiam.“ — Usque ad fines regni, quamquam iam initio iul. profectus est, Fridericus progressus esse non videtur, quia de eo tacet illa inscriptio. Habemus dipll., quae eum 18 sept. et 27 sept. „apud Cuçurionem in territorio Spoletano“ fuisse demonstrant. Ughelli I. S. I. 458. 1261.

20) Num Henricus a. 1185 in Italia versatus sit, accuratius quaerendum est, auctorum testimoniis inter sese valde discrepantibus. Refert Otto S. Blas. Fridericum *et Henricum* et Mediolanenses obviam iisse Constantiae. Accedit quod dipl. Henrici exstat ap. Ughellium I. 458. Raynaldo ep. Asculano indultum „d. Asculi, a. d. i. 1185. ind. 5. idib. decembr.“ a vv. cll. Raumer II. 548. et Böhmer regg. Imp. No. 2721 receptum. *Nihilominus eo tempore Henricum in Germania fuisse contendimus.* Demonstratur his dipll.

Iuli. 1185 Basileae. Herrgott, Geneal. II. 195.

Spt. „ Leodii. Gislebert. 383. (Bouquet XVIII.) et Lacomblet U. d. Nrh. I. 347.

25 oct. „ Aquis. Lacomblet U. d. Nrh. 1. 348.

Illud igitur Ughellii dipl. non ad ann. 1185 sed potius ad a. 1186 referendum, quod etiam nota: indict. V demonstrat. Etenim a die 1. novbr. 1186 incipit quinta indictio graeca. — Neque fieri potuit, quin Henricus mens. dec. Asculi moraretur, sponsa sua iam XV. Kal. nov. Placentiam veniente.

Quae cum ita sint, illud quoque Ottonis S. Blas. refellitur. — Attamen Radulph. Dicet. 629. (Bouquet XVII.) et Annal. Aquicinct. 538. (Bouquet XVIII.) Henricum dies dominicae nativitatis 1185 cum patre apud Papiam peregisse dicunt. Sed diem natal. domin. a. 1185 imperatorem *Mediolani* celebrasse ex God. Colon. constat. Anno 1186 imperator per idem tempus Papiae versabatur, quod constat ex eius dipll. alterum d. d. Papiae 1 dec. 1186. (Miraeus opp. III. 60.) alterum d. d. Papiae 11 febr. 1187 (Ughelli I. S. II. 172.) Quod dedit una cum filio suo Henrico. *Hoc* igitur anno (1186) Henricum Papiae cum patre natalicios dies dom. celebrasse demonstratum est. — Accedunt haecce testimonia: Breve Chron. Bresciana (publ. a Zanetti, Monete e Zecche d'Italia. Bologna 1786. IV. 471.) plane dicit: 1186 rex Henricus Brisiam venit *de mense ianuar.* — et Malvecii Chron. 882. (Murat SS. XIV.): 1186 rex Henricus Lombardiam introivit, qui Brixiam ingressus, post non multos dies in urbe Mediolanensium — nuptias celebravit.

Quibus Henricum usque ad init. a. 1186 in Germania mansisse aperte demonstratur. Cf. itinerar. in appendice dissertat.

21) de die nuptiarum Radulph. Dicet. 629. 649. (Bouquet XVII.) — Monach. Cassin. 50. (Murat. SS. V. Sequentes v. cl. Raumerum, significamus nota „Mon. Cass.“ minus, nota „Anon. Cass.“ maius chronicon anonymi monachi Cassinensis.) — Chron. Plac. ed. Huillard 12. — Nonnulli Theutonicorum auctorum et de loco et de die errant, ut Arnold. Lubec. III. 14. — God. Col. a. h. a. — Ann. Argent. ad 1184. et al.

nensibus, ut in signum adeptae imperialis gratiae nuptias Mediolani celebraret" hanc urbem elegerat, universalem omnium Italiae baronum contionem ad hoc festum convocaverat. Nobiles Siculi et Apuli aderant. Potentissimi Germaniae principes advenerant, solus Philippus Coloniensis archiepiscopus aegritudinem simularat. Omnes Lombardiae civitates legatos miserant, excepta Cremona, quod imperator contra eorum voluntatem Cremâm denuo aedificaverat, valde irata. Primum Italici et Theutonici sine inimicitia eundem utrique imperatorem venerantes eiusque potentiam testantes convenerant. Quare, ut re vera pacis et reconciliationis esset festum, omnium rerum oblivionem imperator Italicis iureiurando promisit.

Eodem die imperator ab Algisio Viennensi archiepiscopo rex Burgundiae, Henricus a Godefredo Aquileiensi patriarcha rex Italiae coronatus, Constantia a Theutonico quodam episcopo regina Germaniae coronata est[22]).

Papa, simulac nuptias et coronationem comperit, omnes clericos, qui sacra administraverant, a muneribus amovit, et non amplius haesitans, die 18 maii Volmarum decanum Trevirensem cardinalem presbyterum et postero die archiepiscopum Trevirensem consecravit[23]).

Tum imperator bellum papae movere constituens, filium cum exercitu fines patrimonii S. Petri transgredi iussit, dum ipse Cremonenses bellum iis inferrendo ad deditionem coegit.[24]) Rex

— Recentiorum auct. vide Giulini memorie spettanti alla storia di Milano. VII. 31 sqq. et imprimis Puricellium, Ambrosianae basilicae ac monasterii monumenta. Mediol. 1645. 4o. I. 1051. sqq. Mediolanensis aepus ceremonias nuptiales non administravit, quia Urbanus etiam post suam in pont. max. electionem aepalem sedem tenuit. Vid. Pagi Critic. Baronii XII. 802.

22) Sigonius (hist. de regno Italiae. Basileae 1575. 8⁰) XIV. 543. Henricum tunc Caesarem coronatum esse dicit. Quem multi Italicorum scriptorum secuti, Henricum ab hoc die Imperatorem appellant. Inducit eos in errorem illud Radulphi Dicet. 629: et ab ea die vocatus est Caesar. — Quibus turbatus, vir ceterum de patria historia bene meritus, Bünau (Proben einer deutschen Reichsgeschichte. I.: Leben Friedrichs I. Leipzig 1722. 4⁰. p. 299) esse eum Imperatorem coronatum demonstrare conatus est. Refellunt eum chron. Sicardi episc. 603 (Murat. SS. VII.) — Muratori annal. ad h. a. — Giulini memorie VII. 34.

23) Ann. Aquic. (Bouquet XVIII.) 538. cf. Pagi Crit. Baron. — imprimis Gesta aep. Trevir. 2210. (ibid.)

24) Sicardi chr. 602. — Robolotti dei documenti storici e letterarj di Cremona. Cremona 857. fol. p. 68. — Henricum huic bello non interfuisse ex dipll. constat. Vid. append.

mense maio profectus, Urbem veterem (n. Orvieto) obsidione cinxit. Urbanus III Veronae erat, unde exire nullo modo potuit. Nam Romae commorari tunc papis non licebat, quia Romani a. 1183 Lucium III papam expulerant. — Incertum est, num Urbem veterem subiecerit Henricus. Progrediens in Campaniam Romanam, omnia usque ad Apuliae fines devastavit. Deinde rediit in Lombardiam[25]). Qhum iam d. 19 oct. 1187 Ferrarae mortuus esset Urbanus[26]), et Gregorius VIII, qui antea archiepiscopus Beneventanus nomine Albertus et Cardinalis S. Laurentii in Lucina et Romanae sedis cancellarius fuerat, ei succederet, hae discordiae finitae sunt, quum, quia Gregorius, vir admodum placidus et religiosus, petitionibus imperatoris libenter obtemperavit,[27]) tum, quia, nuntio de expugnatione Hierosolymorum allato, omnium animi ad maiores et graviores curas conversi sunt.

---

25) Imprimis Chr. Fossae novae 876. (Murat. VII.) — Chron. Plac. ed. Huillard. 13. — Ann. Aquens. (Böhmer FF. III.) — cf. Innoc. III. epp. ed. Baluze I. 697: (Innoc. III. scribit): Henricus in ecclesiae persecutionem suae dominationis execravit primitias, cum beati Petri patrimonium violenter ingressus, illud multipliciter devastavit etc. Cf. adn. 6. — Erat autem tunc papa Urbanus apud Veronam civitatem. Erat enim maxima discordia inter imperatorem Fredericum et papam; ita ut nullo modo dicto pape et cardinalibus et qui cum ipso erant extra ipsam civitatem exiendi erat licentia. Si quis vero ex curia pape a Teutonicis capiebatur, usque ad internicionem variis tormentis cruciebatur. Annal. Romani 479. (M. G. VII.) Cf. quae attulit Abel Kg. Philipp 299. — Romanos in hac expeditione Henrico libenter auxilium tulisse facile credo, utqui papae tunc essent infestissimi, quem ex urbe expulerant. Saltem testes inveniuntur in dipll. Henrici VI Petrus Prefectus Urbis 6 iul. 28 aug. 1 spt. 1186. et Leo de Monumento, Romanorum Consul in dipll. d. 28 aug. 1 sept. 17 oct. 27 nov. 1186. — Quae Sigonius XV. 342. sqq. de Urbis veteris obsidione diffuse lateque narrat, quam ab a. 1184 ad a. 1186 durasse dicit, hac adn. et adn. 20 plane refelluntur.

26) Gervas. Tilberiens. ad h. a. (Leibniz SS. I.) — God. Col. ad h. a. — Vit. pontif. 477 et al. — Alberic. trium-font. monach. ad h. a. (Bouquet VIII.) et Guilelm. Armoric. 74. (Bouquet XVII.) referunt XVIII. oct., Chr. Cavense 926. (Mur. SS. VII.) XXX. spt., Roger. Hoveden 636. (Bouquet XVII.) XX. oct. Cf. Meo ann. ad h. a.

27) An. Cassin. ad 1187. — Vir literatura facundiaque clarus, sed puritate vitae et animi integritate praeclarior, suique corporis vehemens castigator. Audita eius promotione, laetatus est admodum Fred. Aug. eo quod virum discretum et iustitiae zelatorem cognosceret. Chron. Autissiod. (Martene collectio III.) ad h. a. — Guilelm. Neubrig. III. 21. (Bouquet XVIII.) et al. — vir summe religiosus et magnae castitatis. Hic postquam ad pontificalem ascendit dignitatem, statim ad restaurandam Romanam ecclesiam et ab opprobriis liberandam animum intendit. In primis itaque omnia que Romani imperii iure essent, eidem regi Heinrico concedere spopondit, affirmans, non esse tamen pape et cardinalibus arma capere, bellum committere, sed tantum in elemosinis et in ecclesia laudes d. nostro Jesu Christo die noctuque reddendas. Annal. Romani 479. (M. G. VII.) — filius pacis et vere israhelita, in quo dolus non erat. Ann. Magdeburg. 195. (sive Chronogr. Saxo. M. G. XVI.) —

CAPUT II.

De regno Normannorum a Tancredo occupato.

Matrimonio cum Constantia inito Henricus legitimus fuit Normannorum regni heres.[28]) Guilelmus II rex, quo firmius id esset et manifestius, consilium archiepiscopi Panormitani sequens in curia, ineunte a. 1186 Troiae celebrata, omnes regni barones se post mortem regis fideles et obedientes esse velle Henrico et Constantiae iurare iusserat. Nec multo post, d. 16. nov. 1190, rex Guilelmus immatura morte periit sine liberis, nullo testamento relicto, toto populo eius mortem lugente.[29]) Statim dissensio exorta est. Gualterius Henrici VI regimen impedire omni modo tendit. Principes iurisiurandi immemores et suis quisque commodis studentes, collegerunt factiones, partim, ut ipsi ad solium aspirarent, partim, ut hac occasione utentes maiores sibi libertates praesumerent;[30]) alii, bellum civile metuentes, foedere cum vicinis inito suae

---

28) Petrus Ebul. I. 330 sqq. alloquitur Henricum:

Augustos imitare tuos, defende tuum ius,
Coniugis et magni iura tuere patris.
Tam tua quam soceri limes conterminet unus,
Nam ius consortis in tua iura cadit.

Cf. Giannone, istoria civile del regno di Napoli. XIV. I. 318. — Fridericus II. regnum Siciliae non patris bellis et subiectione, sed quasi hereditate a Constantia comparatum habet, Normannorum reges saepenumero in dipll: „avos nostros“ nominans.

29) Guil. Neubrig. III. 7. — Roger. Hoved. 663. (Bouquet XVII.) — Rich. S. Germ. 969. — Anon. Cass. ad 1189. — Petr. Ebul. I. 35. sqq. — De die cf. Meo annali ad 1189. I. — Triginta sex annos natus erat. — Ubique maximus luctus erat de morte regis ab omnibus dilecti. Cf. quae Rich. S. Germ. ad eius eximiam laudem dixit et cecinit. Adiungenda: Chron. Foss. nov: absque herede, quod magnum periculum fuit, mortuus est. — Anon. Cassin: moritur nullo testamento relicto. — Ansbertus, expeditio Friderici I. ed. Dobrowsky (Pragae 1827) p. 106: obiit sine herede; unde quia regia proles in ipso defecerat, de successore in regnum gravis oritur dissensio, quibusdam assumentibus quendam Tancradum. — Petr. Ebul. I. 37. sq.

30) Petr. Ebul. I. 90 sqq.

Quisque sibi petit in regem, quem norat amicum,
Hic se maiorem quaerit et ille parem.
Hic consanguineum quaerit, petit ille sodalem,
Hic humilem laudat, laudat et ille ferum.
Quisque sibi regem petit hunc, legit hunc, petit illum,
Non erat in voto mens Pharisaea pari.

securitati consuluerunt.[31]) Plebs, tempus venisse putans, quo tollerentur institutiones regis, quae minus placerent, summo odio se convertit in Muhamedanos, quibus iam diu libertates et privilegia, a Guilelmo concessa inviderat. Exorta Panormi insectatione et brevi tempore per totam insulam diffusa, Saraceni, ex urbibus ubique expulsi, in montibus, quibus Sicilia interior occupatur, coacervati, crebros fecerunt in Christianos impetus, maximumque omnibus attulerunt periculum.[32])

Quare properata est concio principum, qua res publicae constituerentur. Inter omnes, qui regnum petierant, tres auctoritate et potestate fuerunt amplissimi. Quorum alter fuit ipse rex Henricus, adiutus ab archiepiscopo Panormitano. Alter fuit Rogerius Andriae comes, potentissimus totius regni princeps, cuius multae

---

31) Roffredus, Cassinensis abbas, futurorum providens, cum vicinis comitibus et baronibus confoederatur. Anon. Cassin. — Omnes inter se coeperunt de maioritate contendere et ad regni solium aspirare, et obliti iurisiurandi, quod fecerant, eorum quilibet contra facere anhelabat. Rich. S. Germ. — Ibid. in carmine:

Iacet Regnum desolatum,
dissolutum et turbatum,
sicque venientibus
cunctis patet hostibus.
Est ob hoc dolendum et plangendum omnibus.

De Roffrido dicit Anon. Cass. ad 1180: R. de Insula VII. id. iul. in cassinensem abbatem — receptus est. Cf. Meo ann. XI. 17. — Is, qui postea tantas partes egit, optime depingitur apud Tostium, storia della badina di M. Cassino. II. 172: (II Tomi Napoli 842. 8°.) Roffredo era della famiglia De Lisola di Arpino, uomo che aveva l'animo di buona tempera, il quale vissuto nel chiostro, sapeva cosa fossero gli uomini, che erano nel mondo, e non ignorava i mezzi a star bene della chiesa; ma le affezioni monastiche avanzavano quest' amore, in guisa che quando nella condotta de' badiali e Romani negozî trovossi a difficili passi, a petto dell' imperadore, operò in modo, da non amareggiare alcuna delle parti avverse, avvantaggiando se stesso: chiarendo, che se Roma gli era nell'animo, la Badia ne teneva la cima.

32) Anon. Cassin. narrata morte Guilelmi: Panormi oritur inter Christianos et Sarracenos dissensio. Sarraceni, multa suorum strage facta, exeunt et inhabitant montana. — Meo addit coniecturam satis incertam: io credo eccitato dall'Arcivescovo. — Rich. S. Germ. 970: Tancredus *primum quidem* quinque Saracenorum regulos, qui ob metum Christianorum, ad montana confugerant, de montanis ipsis Panormum redire coëgit invitos. — His auctoribus summa fide dignis refelluntur, quae Benedictus Petroburgensis II. 624. (ed. Thom. Hearne. Oxoniae 1735. II Tomi. 8°.) dicit, seditionem *post* coronationem Tancredi esse exortam, quia „indignati sunt servire regi Tancr. tum, quia rex Alemanniae calumpniatus est regnum Siciliae; tum quia rex Angliae infestat regem Tancredum. — sed cum audissent, quod pax et finalis concordia esset inter regem Angliae et Tancredum, redierunt in servitutem regis Tancredi, et datis ei obsidibus reversi sunt c.“ Auctorem res confudisse testimonio An. Cass. et Rich. S. Germ. patet.

et magnae terrae in Apulia sitae erant.[33]) Guilelmo II regnante, magnus comestabulus et magnus totius Apuliae et Terrae Laboris iustitiarius fuerat et optime, praecipue in pace Venetiis facta, de republica meritus erat.[34]) Utrumque vero spe eventus superavit Tancredus Comes Licii.[35])

Tancredus fuit filius nothus Rogerii, Rogerii II Normannorum regis filii natu maximi.[36]) Rex filium ad Robertum Licii comitem miserat, quo officia et mores equitum cognosceret et exerceret. Iuvenis vero amore erga filiam comitis Biancam incensus est et

---

Praeclara sunt illa Hugonis Falcandi in praefatione historiae suae dicta, quam scripsit ad amicum hoc ipso tempore, post mortem Guilelmi. Haec praefatio tanto ingenii acumine tamque insigni patriae amore praecellit, ut summa cum delectatione eam legas et relegas. Neque a proposito aberrare nos putamus, si praefationis partem hic citamus. „Nunc mihi velim edisseras, ad quem intelligis finem rem in tanto discrimine perventuram, quone putas Siculos usuros consilio? Utrumne regem sibi creandum existiment et collectis viribus contra barbaros dimicandum; an vero, rei diffidentia, et *insueti laboris odio*, tempori servientes, malint quodlibet durum servitutis iugum suscipere, quam famae et dignitati suae et patriae libertati consulere? — Certe si regem sibi non dubiae virtutis elegerint, *nec a Christianis Saraceni dissentiant*, poterit rex creatus rebus licet quasi desperatis et fere perditis subvenire et incursus hostium, si prudenter egerit, propulsare. — At vero, quia difficile est, Christianos in tanto rerum turbine, sublato regis timore, Saracenos non opprimere, si Saraceni, multis illorum iniuriis fatigati, ab eis coeperint dissidere et castella forte maritima, vel montanas munitiones occupaverint, ut hinc cum Theutonicis summa sit virtute pugnandum, illinc Saracenorum crebris insultibus occurrendum: quid putas acturi sunt Siculi inter has depressi angustias? Hoc utique agent quod potuerunt, ut, se barbaris miserabili conditione dedentes, in eorum se conferant potestatem. O utinam plebis ac procerum Christianorum et Saracenorum conveniant, ut regem sibi concorditer eligentes, irruentes barbaros totis viribus, toto conamine, totisque desideriis perturbare contendant.“ (Mur. SS. VII. 253.) cf. Innocentii III. epist. ed. Baluze I. 26.

33) demanium suum est Andria, feudum militum XIII. et in Minorbino feudum militum IV. et in Scto. Arcangelo feudum militum VI. et de Policore feudum militum IV. et de Rocca milites II. et de Colobrara milites II. Demanium milites XXXI. et cum augmento milites LXXII. et servientes CC. (Ad hoc:) Feuda militum de comitatu Andriae XXV. et medium. Feuda militum demanii et servitii XCVII. Catalogus baronum (qui sub auspiciis Guilelmi Boni expedit. ad terram sctam. sibi vindicandam susceperunt) ed. Del Re, cronisti Napolitani. (Napoli 845. 8°.) p. 573.

34) Romuald. Salern. 217. (Mur. SS. VII.)

35) Petr. Ebul. I. 96 his verbis de iis iudicat:

Tancredum petit hic, comitem petit ille Rogerum,
Quod petit hic, negat hic, quod negat hic, petit hic.
Ambo duces equitum, rationis uterque minister,
Hic dator, ille tenax, hic brevis, ille Gygas.

36) de Tancredi vita agunt praecipue Hugo Falcandus et Chr. fossae novae. Accedunt Nicetas (hist. imp. Graeci ex recens. J. Bekkeri. Bonn. 835. 8°.) et Episc. Sicardus (Murat. SS. VII.) Etiam Radulph. Dicet. 626. Ansbertus ed. Dobrowsky 121.

duos filios, Tancredum et Guilelmum ex ea genuit. Quod cum rex comperisset, statim filium ad se revocari iussit. Attamen crebrae amorum voluptates ita vires corporis debilitaverant, ut in Siciliam reversus gravissime aegrotare inciperet. Tradunt quidem nonnulli, filium contabescentem instantibus precibus movisse patrem, ut nuptias cum Bianca permitteret. Sed priusquam celebratae sunt, Rogerius Messinae mortuus est[37]). Rex dolore et ira commotus, comitem Licii cum uxore et liberis ex regno relegavit. Comes in Graecia exsul vixit. Filii Rogerii in palatio Panormitano in solitudine educati, procul a coetu hominum vitam egerunt.

Guilelmus, natu minor, illic mortuus est. Tancredus, Guilelmo I patri in regno succedente, e custodia liberatus est. Sed iam insequenti anno aut vana spe occaecatus aut iracundia de iis, quae perpessus erat, inductus, cum aliis contra regem conspiravit. Nam Bonellus Maionem occiderat, ut supra memoratum, magnum sceleris praemium a rege exspectans. Qua spe deceptus, contra ipsum regem coniurationem fecit. Rex quidem captus sed brevi post a Panormitanis liberatus est. Tancredus, coniurationis particeps, Athenas confugit ibique cum matre per sex annos vixit.

Guilelmo II cognomine Boni regnante, Tancredo ut in patriam rediret, concessum et a. 1169 Licii comitatus, hereditas matris, ei confirmatus est. Rex ei magnas res commisit. A. 1176 una cum Rogerio Andriae comite expeditionem fecit contra Christianum Moguntinum archiepiscopum terras Apuliae devastantem[38]). Cum a. 1185 magnum bellum contra Byzantinos rex pararet, Tancredum toti classi praefecit, exercitui comitem Alduinum et comitem Richardum de Acerris praeposuit. Die 11 iun. deducta classe, postquam die festo S. Joh. Baptistae (24 iun.) Dyrrhachium, die festo S. Bartholomaei (24 aug.) Saloniciam cum multis Romaniae civitatibus castellisque expugnaverunt, omnes, bellum tam feliciter coeptum gloriose eos confecturos esse putaverunt, quum, quae fortitudo paraverat, insidiae auferunt. Graecorum dux, nomine Granatus, obviam venit ducibus Normannorum pacem proponens securitatemque promittens. Quibus illi confidentes, cum pacem et

---

37) mortuus est Rogerius dux Apuliae a. d. i. MCXLIX. Ind. XII. vir quidem speciosus et miles strenuus, pius, benignus, misericors, et a suo populo multum dilectus. Rom. Salern. 193 (Mur. SS. VII.)

38) Anon. Cassin. ad 1176.

ipsi promisissent, decepti a Graecis et capti Constantinopolim ducti sunt. Num Tancredus, qui classi praefuit, et ipse captus sit an solum exercitus duces, non satis liquet. Isaac vero imperator, Guilelmi regis iram non sine caussa metuens, et fidem et pacem ruptam esse dolens, eos vinculis solutis Panormum reduci iussit[39]). Fortasse Guilelmus II Tancredum de infausto belli exitu accusasset, nisi, eo absente, Constantiam Henrico regi spopondisset. Putans enim rex, Tancredum, qui fortasse se successurum esse regi in imperium speravisset, tam affinem regiae familiae, impediturum esse has nuptias, quibus omnem spem regni aliquando occupandi amitteret, de bello infeliciter gesto quaestionem non fecit, quia ille, cum sponsionem cognovisset, eam nullo modo turbavit. Immo Tancredus postea in curia Troiae celebrata Henrico VI futuro regi fidem et obedientiam iuravit[40]).

Guilelmo II mortuo, Tancredus, tum quadraginta fere annos natus, in Licio versabatur, quem comitatum optime gubernabat[41]). Auctores illius aetatis laudibus eum efferunt, praedicant indoles, magnum eius animum, prudentiam, pietatem erga deum. Exercebat musicen, astronomiam, mathematicen. Institutis et donationibus, quae fecit, omnes clericos reddidit amicos. Corporis bonis minus praestitit quam ingenio et industria[42]). Matthaeus cancellarius vota populi, qui ha-

---

39) Quod inter illud bellum Andronicus imp. e medio sublatus et Isaac Angelus imperio potitus est, certe in belli decursu plurimum valuit.

40) Anon. Cassin. ad 1190. — Petr. Ebul. I. 156 sqq. — Ann. Aquic. 425. (M. G. VIII.)

41) De terra comitis Tancredi, filii dom. ducis Rogerii, quae fuit comitis Goffridi Montis Caveosi: — sicut dixit idem c. Goffr., demanium suum de Licio esse feudum X militum et de Carminea feud. III militum et de Ostuno VII militum. Summa demanii — Tancredi: feuda militum XX (tenent de eo in Licio XVIII, in Ostuno II) et cum augmento milites XL. — Catal. Baronum ap. Del Re 575.

42) Hugo Falcand. 285. cf. 295. — Inveges annali di Palermo (1651. fol.) III. 478, sequens Cornelium Visignanum his verbis eum depingit: Fu Tancredi valerosissimo cavaliere in ogni attione, di faccia rubiconda e modesta, di statura alto, haveva gli occhi grandi, il naso alquanto rilevato, fu di bona complessione e di natura amorevole, nel vestire modesto, attese alle scienze di musica, di matematiche e di altre virtù.

Quam odiosa contra et indigna sunt, quae Petrus de Ebulo, Henrico VI serviliter blandiens, de Tancredo loquitur:

O nova pompa doli, species nova fraudis iniquae,
Non dubitas Nano tradere regna tuo,
Ecce vetus monstrum naturae crimine abortum,
Ecce coronatur simia, turpis homo. (!)
Huc ades Alecto, tristis proclamet Herynnis,
Exclament Satyri, semivir ecce venit. (!)

bere nolebat externum regem, sed indigenam, omni vi adiuvans, Tancredum maxime idoneum putavit, qui totius populi assensu rex crearetur. Hunc igitur in magna omnium principum concione, Panormi habita, regem proposuit[43]. — Secreto adiuvit cancellarii contentiones ipse papa Clemens III, qui, antea Paulus episcopus Clandestinus Gregorio, d. V. Kal. Ian. 1188 defuncto, d. 19 dec. 1188 successerat[44]. Ita Tancredus rex creatus est[45]. Mittuntur, qui eum Licio Panormum vocarent. Haesitasse diu Tancredum, num acciperet regnum, tradit Petrus de Ebulo[46]. Denique cum uxore Sibylla, Richardi, quem supra nominavimus, sorore et filiis Rogerio et Guilelmo navem appulit Panormum. Celebri totius populi concione Tancredus mense ian. 1190 ab ipso Matthaeo cancellario solemniter rex Apuliae et Siciliae coronatus est[47]. Cardinalibus a papa ad ipsum missis, fidelitatem ecclesiae Romanae

---

cf. I. 182. 208. sqq. — Imagines Tancredi exstant apud Bulifon, compendio delle vite dei re di Napoli p. 36 et ap. Biancardi-Lalli, le vite de' re di Nap. p. 37 (ad testim. Summontii). Num vera sint, valde dubito.

43) De contentionibus cancellarii dicit Petrus Ebul. I. 102.

Vi prece promissis trahit in sua vota rebelles,
Tendens multimodis retia plena dolis.
Pollicitis humiles, prece magnos, munere faustos
Vincit et Antistes (sc. Gualterius) simplicitate ruit.

Argumenta, quae Matthaeus in concione protulit, composuit Raumer II. 851. ed. 8. cf. imprimis Sigonium de regn. Ital. 568. Meo XI. 25.

44) Anon. Cass. ad 1187. Vid. Baron. ad 1188. § 20. Vit. pontif. 478 et al.

45) Chron. Foss. nov: Omnes aepi, epi, abbates, et universi aulici comites Siciliae invicem convenientes, elegerunt Tancredum et honorifice in regem coronarunt. — Guil. Neubrig: arbitrio et electione optimatum. — Fazellus de rebus Siculis (Panormi 4^{0}) I. 7 c. 6: paucis tumultuantibus declaratur. (Saepe hic auctor fide indignus.)

46) Petr. Ebul. I. 168:

Stare pudet, properare timet, cor fluctuat intus.

Petrus Matthaeum ad Tancredum scribentem facit, hisce verbis utentem (I. 156):

Nec te, si qua fides, nec te periuria tardent,
Gloria regnandi cuncta licere facit.

47) Petr. Ebul. I. 176 sqq. I. 260 sqq. — Rich. S. Germ.: Factum est autem, ut cum suis complicibus, ne pars aepi praevaleret, cancell. obtinuerit in hac parte et tunc vocatus Panormum Tancredus c. Licii, *Romana in hoc curia dante assensum*, est per ipsum canc. coronatus in regem. — An. Cass: de assensu et favore curiae Romanae. — Arn. Lubec: a sede apostolico ordinatus. — Bianchini della storia delle finanze del regno di Napoli (ediz. 2. Palermo 839. 8^{0}) I. 162 nummos edidit Tancredi: alterum, ostendentem inscript.: TANCREDVS REX SICILIAE, his verbis circum inscriptis: DESTERA DOMINI EXALTAVIT ME., ab alt. parte inscript. arab.; alterum ab altera parte turrim, a parte aversa TA. I. R. ostendentem.

iuravit, hominium ecclesiae fecit, multasque ecclesiae Romanae libertates in regno concedens, legitimus rex a papa rite agnoscitur[48]).

Ut bellum civile, in Sicilia inter Christianos et Saracenos exortum finiret, factiones, quae offensae ipsius electione, novis rebus studebant, placaret, omninoque rem publicam corroboraret contra hostem, summa industria Tancredus operam dedit. Regulos Saracenorum in urbes redire coegit. Thesauris regiis, multa per secula collectis, utebatur, ut profusa eorum distributione animos principum sibi conciliaret[49]). Matthaeus totius regni archicancellarius eiusque filius comes Aiellae facti sunt. Magni comestabuli munus Andriae comiti ademptum et Roberto Venusiae comiti concessum est[50]).

Etenim in Apulia pauci Tancredum regem agnoscebant. Hic Andriae comitis erat factio, hic multi principes, quos spes rerum potiundi fefellerat, possessori illegitimo fidem iurare nolebant[51]). Qui omnes, archiepiscopi Panormitani instantibus consiliis inducti, in Henrici factionem transierunt. Epistolis ad regem missis, Gualterius Offamiglia, comites Andriae, Tricarici, Calvii, Gravini, Molisii, Celani, omnes fere Apuliae nobiles perpetuam fidem sancte af-

---

48) 1) Literae Tancredi ad dom. Coelestinum papam directae, continentes pacta et conventiones concordata inter regem et eccl. rom. ap. Mabillon, summar. privileg. 1232. (Martène, thesaur. anecd. II.) — Omissis aliis citamus, quod papae concessum „*libere* in toto regno *electiones facere* ita quod electio praesentetur regi, *cui rex praestabit assensum*, nisi electus esset de proditoribus vel notis inimicis, et tales papa ad regis instantiam reprobabit. — etiam de concessione regni Sic. duc. Apul. et princip. Capuae et Marsiae — quae praedecessores regis homines ecclesiae Rom. iure tenuerant et de — hominio ligio facto R. ecclae per regem praedictum. — et de censu annuo sex centorum schifatorum pro Ap. et Capua et quadringentorum pro Marsia per regem solvendo."

2) Lit. Tancredi ad Coelest. continens, quod Tancr. in manibus cardinalium ad hoc missorum — iuxta formam capitularis, quod per eosdem cardinales — papae transmittit sub aurea bulla, fidelitatis praestitit iuramentum c. Mabillon 1233.

3) Forma iuramenti fidelitatis, quo fidem iurat beato Petro, Rom. ecclae c. (Eadem Guilelmus rex Adriano papae iuraverat.) Mabillon 1233.

49) Rich. S. Germ.

50) Capecelatro istoria di Napoli (Gravier, raccolta di scrittori dell' ist. del regno di Nap. Napoli 1769.) 189. — Giannone, ist. di Napoli (Hajae 1753. 2 tomi) I. 312. — Cherrier, lutte des papes et des émpereurs etc. I. 289.

51) „Nam in Apulis, qui semper novitate gaudentes, novarum rerum studiis aguntur, nihil arbitror spei aut fiduciae reponendum" scrib. Hugo Falcandus in praefat. rerum eventum praesentiens et futura praedicens.

firmarunt et, ut quam posset celerrime adveniret et regnum suum occuparet, ab Henrico petierunt[52]).

Henricus rex, de rebus in Sicilia gestis certior factus, statim in Italiam profectus esset, nisi multae res eum in Germania retinuissent. Fridericus enim imperator, curia Ratisbonae 23. apr. 1189 celebrata, in viam se in terram sanctam dederat, rebus imperii bene compositis, paceque imprimis reconciliatione Philippi Coloniensis archiepiscopi et exsulatione Henrici Leonis in Angliam ubique restituta.

Henricus rex Philippum quidem benignitate et observantia colens, firma amicitia sibi iunxit[53]). Henricus autem Leo, iusiurandum nefarie rumpens, ad Germaniam navem appulit et denuo imperio bellum intulit[54]). Henrici regis contra eum expeditio

---

52) Petr. Ebul. I. 25 sqq. enumerat eos:

Primus magnanimus scripsit comes ille Rogerus (Andriae)
    Scripserat infelix semivir ipse comes (Tancredus??)
Scripsit Compsanus patrio comes ore venustus,
    Scripsit Molisius inclitus ille comes (Rogerius).
Scripsit Tricarici comes (Rogerius) et comes ille Gravini,
    Scripsit cum triplici prole Philippus idem (Ph. Guarna).
Et gemini fratres magni scripsere Lucini,
    Scripsit et antistes hoc Capuane idem (Matthaeus aepus).
Scripsit et Antistes dominorum gemina Panormi (Gualterius)
    Scripserat et praesul Bartholomaeus idem (Agrigenti).
Scripsit cum multis pius archilevita Salerni,
    Cuius pura fides purior igne manet.

(= adiaconus Salerni, *non* aepus. Vid. infra adn. 108) Cf. Meo 1191. 3.

53) Est res maximi momenti et e fontibus dilucide demonstranda, Philippum circ. ab a. 1184 imperatori fuisse infestissimum et principem factionis, quae a partibus papae stabat. Init. a. 1189 Frid. Philippo bellum paraverat, sed brevi post imp. et aepus ad pristinam amicitiam redierunt. Cf. de his rebus God. Colon. 456. Ann. Magdeb. (= Chronogr. Saxo) 195. (M. G. XVI.) Ann. Pegaviens. 265. (M. G. XVI.) Arnold. Lubec. III. 18., imprimis vero, quae scripserunt Ficker, Engelbert der heilige von Köln (Köln 853. 8°) p. 11. et O. Abel, die politische Bedeutung Kölns am Ende des XII. Jhrhdts. (cont. in Kieler allg. Monatsschrift 1852) p. 452. Henricus rex Philippo, ut eum sibi obstringeret, magnas libertates indulsit. V. privil. d. 25 mart. 1190 ap. Lünig, cod. dipl. Germ. XVI. (spicil. eccl. I^{b}) 338. — Apologia des Erzstifftes Köllen 1659 p. 5. — Lacomblet Urk. d. Niederrh. I. 365. — In curia Nurenbergi habita (13. mai. 1190) honorifice eum suscepit „nitebatur enim modis omnibus eum sibi allicere, eo quod vir strenuus et victoriosus esset.“ God. Col. ad h. a. — De eius persona et indole optime agit auct. catal. aep. colon. Böhmer FF. II. 277.

54) Neque de hac re diffusius disserere nunc nobis licet. Vide, quae Raumerus II. 346. ed. 3. et Böttiger, Heinrich der Löwe, Herz. d. Sachsen etc. 397 sqq. narrarunt. Imprimis vero dissert. inaug. v. doct. Cohnii nuper editam: De rebus inter Henricum VI imp. et Henr. Leonem actis. Pars prior. Vratislav. 856. p. 29 sqq.

prosperum eventum non habuit, cum Henricus Leo, a multis et quidem potentissimis principibus, in quibus fuit Hartwicus II Bremensis archiepiscopus neque minus Holsatiorum Stormariorumque auxilio adiutus, magnum exercitum collegisset, et celeriter progrediens, Holsatiam, Lubeccam, omnem usque ad Hannoveram regionem sibi subiecisset.

Quare Henricus VI, nuntio de rebus Siculis allato, imperium relinquere non potuit, sed misit mense aprili 1190 Conradum archiepiscopum Moguntinum et Dietherum cancellarium in Italiam, qui de statu rerum ipsi nuntiarent[55]). Quum vero Tancredus summis opibus magnum parasset exercitum eoque, Acerrarum comite duce[56]), omnem Apuliam iamiam sibi subiecisset, praecepit Henrico Testae mariscalco, qui Tusciam gubernabat, ut collecto exercitu bellum contra Tancredum moveret[57]). Qui mense maio

---

55) Godofr. Colon: post pascha (14. april.) rex Moguntinum aepum et Ditherum canc. praemittit in Apuliam ad explorandum eventum rerum. Sed ortis inter eos simultatibus, Moguntinus statim revertitur. Canc. in novembri redit, omnia facilia captu iudicans. — Bened. Petroburg. 509 (Bouquet XVII.) hanc legationem cum expeditione Testae confundit, dicens: misit aep. Mogunt. et Henr. Teste cum magno exercitu in Apuliam. Qui intrantes Apul. in manu hostili c. — Nemo praeterea quidquam de hac re tradit, eamque credere dubitarem, nisi God. Col. auctor tantae fidei eam tradidisset. Usque ad Apuliam eos venisse non puto, tacentibus de iis omnibus Italicis scriptoribus. Mirandum quoque est, quod mense nov. Dietherus „omnia facilia captu" nuntiavit, cum iam m. sept. Testa bello infeliciter gesto totoque regno a Tancredo occupato, rediisset.

56) Capecelatro 190, Giannone 313, Cherrier I. 295 ipsum Tancredum in Apuliam venisse dicunt. Quod redarguitur test. Rich. S. Germ. et Anon. Cassin.

57) Sequimur Rich. S. Germ. et Anon. Cassin. in enarrando bello. — cf. Chr. Placent. ed. Huillard 17. — Ann. Cavens. (M. G. V.) 193 et al. — Omnes fere auctores Testam undique praedatum esse omniaque ferro ignique vastasse dicunt.

Testam ad parandam expeditionem pecuniam mutuum sumpsisse intelligimus ex dipl. d. 21. apr. 1190. „Henricus Testa mariscalcus domini regis et pro eodem legatus totius Tuscie" mutuo accepisse profitetur a dom. Ildebrando Vulterrano epo mille marchas ad utilitatem imperii. Lami, Monum. eccl. Flor. 343. — Camici, serie dei ducchi di Toscana (Firenze 1764—78. 4 tomi) IV. 26. IV.

Dicit Saviolius ad 1191. I., Henricum Testam esse eundem quem Henricum de Pappenheim. Confundit vero Henricum Testam cum Henrico de Callindin (Kalendin, Kalden), qui postea de Pappenheim nominatus est. Vide Schultes, directorium diplom. für Obersachsen (Rudolstadt 821. 4⁰) II. 354. Testam et Henricum de Kalendin non eundem esse ex eo perspicitur, quod Henr. de Kal. cum Frid. Imp. in terram sctam profectus est, quare post 8. febr. 1189 in dipll. non invenitur, et demum a d. 7. dec. 1191 rursus nominatur. Sed Testa per totum illud tempus dipll. Henrici VI subscriptus invenitur. Vide de eo, quae Camicius collegit. Primum d. 28. aug. 1186 in dipl. Henrici VI regis nominatur; post d. 5. jun. 1191 mortuus esse videtur, nomine eius postea nusquam apparente.

1190 profectus, iter faciens per Amiternas et Theatinas oras, iunxit suas copias cum Andriae comite et usque ad Cornetum, Venusiani abbatis urbem, qui Tancredo fidelis fuit, progrediens omnia, quae ab Apennino Monte ad orientem solem versus iacent, subegit. Quum autem montes transgredi et Terram Laboris subiicere vellet, retentus in obsidione Ariani, quae urbs, in transitu montium sita, ab Acerrarum comite fortiter defendebatur, cum nihil proficeret morbisque nimio aetatis calore exortis milites corriperentur, necnon victus eos deficeret, relinquere regnum et in Tusciam reverti coactus est. Brevi postea Andriae comes, proditione a Richardo Acerrarum comite captus, crudeli supplicio occisus est. Tum partim necatis partim profugatis qui Henrico VI fideles manserant, omnes se dederunt. Sic totum regnum in potestatem Tancredi redactum est[58]).

---

58) Postremo Capua et Aversa se dederunt. — Capua se reddit improvido consilio, sicut semper usa, cum iam Henricus, cui favebat, appropinquaret. Anon. Cassin.

CAPUT III.

De prima Henrici VI expeditione Italica eiusque coronatione Romana.

Mense Iulio a. 1190 pax inter Henricum regem et Henricum Leonem Fuldae facta est.[59]) Uterque bellum finire cupiverat: Henricus Leo, quia initio a. 1190 infeliciter pugnans, partem tranquille tenere malebat quam continuato bello fortasse omnia amittere, et Henricus rex, quia properare omni modo expeditionem Italicam magnopere studebat. Leonis filii Henricus et Lotharius obsides regi dati sunt, quorum alter, Lotharius, natu minor, Augustam Vindelicorum ductus, brevi post, mens. aug. 1181, ut fama est, veneno mortuus est.[60]) Alter, Henricus, regem cum quinquaginta equitibus in Italiam comitatus est.

Quum die festo S. Michaelis 1190 convenisset exercitus Augustam Vindelicorum, ut in Italiam proficisceretur, nuntius de morte Friderici imperatoris allatus est, qui iam d. 10. iunii vitam gloriosam fortuita morte finiverat.[61]) Deinde rex profectus est ut Apuliam occuparet et Romae imperator coronaretur. *Attamen non, ut adhuc omnes putarunt, fuit prior expeditionis caussa, ut occuparet regnum Normannorum, sed iam vivo Guilelmo rege expeditionem in Italiam paraverat Henricus, ut Romae coronaretur. Etenim Fridericus imperator a. 1189 iterum quaesiverat, ut papa filium Romae coronaret,* et annuente papa, Henricus iamiam Romam profecturus erat, quum Guilelmi regis et Friderici imperatoris mors rerum statum mutaret.

---

59) Henricus a die 11 usque ad d. 15. iul. Fuldae commoratus est. — Cf. Cohnii dissertatio supra laud. 42 sqq. contra Abelium, König Philipp 302. — De pacis conditionibus v. Arn. Lubec. IV. 3. — Falsa attulisse Bened. Petrob. II. 628 eumque exscribentem Rogerium Hoved. demonstravit Cohnius 44.

60) Origines Guelficae VII. 245. (Hannov. 1750 sqq.)

61) Testimonia auctorum de morte Frid. imp. v. cl. Stälin Wirtemb. Geschichte II. 119 tam copiose et abunde attulit, ut ea hic repetere superfluum esset. — Ludovici Thuringiae landgravii mors item moram fecit. V. God. Col. 464. — Döring, der Thüringer Chronik 223.

Quam rem, ab omnibus adhuc omissam, ut demonstremus eiusque caussas et rationem explanemus, veniam petimus.

---

1. Tradit Godofr. Colon. ad a. 1189 (Böhmer FF. III. 461): eodem tempore rex expedicionem Italicam iurare fecit nobiles, maxime eos, qui ministeriales imperii essent, a festo Sancti Matthei post annum explendam, quatinus in augustum ipse consecrari debuisset Rome.

2. Referunt annales Pegavienses contin. ad a. 1189 (Mon. Germ. XVI. 277): Heinricus rex post festum sancti Laurentii curiam in Wirceburg habuit. — Ibi inter alia regni disponenda negocia — pro imperiali benedictione a domno apostolico percipienda, exegit a principibus expeditionem parari in Italiam post revolutionem unius anni.

Curia Herbipolensis 10—18 aug. 1189 celebrata est,[62]) expeditio igitur testibus annal. Pegav. in auctumnum a. 1190 indicta est. Quod optime convenit cum Godofr. Colon., cum S. Matthaei festum d. 11 sept. celebretur. Friderico igitur ad terram sanctam profecto, (qui d. 31 mai. 1189 imperii fines transgressus est) brevi post Henricus expeditionem Romanam indicit.

Accedunt diplomata:

1. Legati Henrici regis de fodro regali ad expeditionem Romanam Henrici VI praestando conveniunt cum episcopo Paduano. Quod dipl. v. cl. Muratorius in archivo capituli canonicorum Papiensium reperiens, in altero Antiqu. Ital. tomo p. 69 publicavit:

„Anno a nat. dom. MCXC Ind. VIII. die IX exeunte Iulio (= d. 23 iul.) — dom. Bonus-Johannes Vercellensis advocatus et dom. nostri Henrici Rom. Regis Legatus cum dom. Henrico comite de Piano, ut ex Literis apertis sig .... eiusdem Serenissimi Regis sigillatis patebat, *ad Fodrum Regale atque alia servicia requirenda et colligenda .... coronatione ipsius Domni regis, Rome peragenda,* vice sua et comitis Henrici de Piano, a quo generalem .... sive concessionem habebat, sicut ex tenore instrumenti per Adam Notarium confecti a me Warino .... si

---

62) 10 aug.: Miracula Ottonis Bamb. ep. 914 (M. G. XIV.) — 18 aug.: dipl. ap. Ughellium I. S. I. 1443. —

et perlecti valet dignosci. Que et idem Bonusjohannes ita *esse asserebat pro Romana expeditione, a Regali excell....... de proximo fieri sperabant*, atque Fodro, domno Wilelmo de Osa Padue Potestati amicabiliter interveniente ad .... cum Domno Gerardo Paduano Episcopo pervenit discordiam. — Bonusjohannes — ex legatione qua fungebatur, cum — Episcopo conveniens atque paciscens, *remisit* — Episcopo *presentem Regalem expeditionem ac exercitum*, *quique de proximo fieri sperabant* atque fodrum, ut neque ipse Episcopus ire, nec militem — pro se dirigere teneatur. — — sicque domno Episcopo stipulanti — Bonusjohannes se facturum hanc concordiam Domnum Regem laudare et confirmare promisit. Quod infra triduum *post completam universalem Curiam*, *quam Domnus Rex in Roncalia vel alibi in Lombardia tenebit*, Domno Regi pro iam dicta remissione dabit centum Marcas argenti ad marchiam Coloniensem. cet. cet. Actum in Padua in Episcopali Capella. (Sequuntur testes.) Ego Varinus Imperialis Domni F. tabellis interfui —."

Haec conventio d. 23 iul. 1190 facta est. Die 10 iun. 1190 Fridericus imperator mortuus erat. Post unum et dimidium mensem nuntium de eius morte in Germaniam allatum iamque regis legatos ad parandam expeditionem in Italia versatos esse nemo est qui credat.

2) Conradus Tridentinus episcopus vasallis suis indicit, ut paratos se facerent ad comitatum Henrici regis in Romana expeditione. (ap. Kink, Codex Vangianus. Urkundenbuch des Hochstiftes Trient. Fontes rerum austriacarum der Kais. Akademie der Wiss. in Wien. tom. V. 1852. p. 102.)

„In nomine c. A. inc. d. MCLXXXX. ind. VIII. XV. Kal. aug. — in palatio dñi tridentini episcopi. In presentia — —.

„*Cum dñs noster Henricus rom. rex et semper augustus, romanam in expeditionem profectus*[63]) *esset*, *eiusque expeditio iam dicto dño tridentino episcopo incumberet*, dñs Conradus, dei gracia tridentinus illustris episcopus, a praefatis — quesivit, ut ipsi columnellos sibi distinguerent et consignarent. Qui responderunt dicentes: — — (sequitur ordo columnellorum.) Ego Ropretus, imperatoris invictissimi Friderici notarius, interfui et iussu prefati presulis scripsi."

[63]) Corrige „*profecturus*" nondum enim profectus erat.

3) Conradus Trevisanus episcopus literas a rege accepit, quibus se expeditionem facturum esse Romanam rex nuntiavit. Quare episc. feudatarios suos *iam d. 1 dec. 1189* convocat, ut omnia ad iter et comitatum constituerent. (Ughelli I. S. V. 531.)

„In nomine —. A. d. MCLXXXVIIII. Ind. VII. die Veneris primo intrante Decembri. Cum d. Conradus dei gr. Tarvisinus Episcopus vocasset atque statuisset generalem terminum et parlamentum suis vassallis apud plebem S. Cassiani de Quinto nomine Tarvisini Episcopatus, ibidem — Episcopus coram vassallis suis et eis praesentibus *dixit, quod in mandatis D. Henrici Romanorum Regis litteras acceperat, in quibus continebatur, praefatus D. Episcopus in festo S. Dionysij, proxime venturi (sc. 17 nov. 1190) cum exercitu honorifice apud Roncaliam Lombardiae ad praesentiam praenominati regis se praesentaret et secum ad coronationem suam et coronam recuperandam paratus Romam foret iturus.* Et ibidem — Episcopus rogavit atque praecepit omnibus vassallis suis — ut parati essent ituri secum vel dare secundum consuetudinem Tarvisini Episcopatus, sicuti retro dare vel facere consueverunt, et hoc tantum debent ipsi vassalli facere et complere de hinc ad festum S. Petri proxime venturi (29 iun. 1190). Et ibidem — qui ibi aderant laudaverunt — quod — episcopus faciat fodrum super totum Episcopatum Tarvisinum — et omnia ista — debent esse soluta de hinc ad festum S. Petri proxime venturi. — Actum in comitatu Tarvisino sub porticu plebis S. Cassiani de Quinto. — Ego Vitalis S. Palatii et F. Imperatoris notarius interfui et scripsi et complevi."

4) v. cl. Mabillonius excerpsit epistolam Friderici imperatoris ad Clementem III papam scriptam, continentem „quod Fridericus attendens constantiam domini papae *circa propositum quod habebat de coronatione Henrici filii sui et Constantiae uxoris suae in regem et reginam Romanorum*, et excusans illos, quia ita cito, ut sperebatur, non potuerant accedere; per nuntios suos *rogat dominum papam, quod circa expeditionem praedictae coronationis intendat* et quod praedictis nuntiis fidem adhibeat super his quae sibi referent viva voce." (Mabillon, summaria privileg. ap. Martène collectio ampl. anecd. II. 1230.)

Quibus argumentis constat, Fridericum iam a. 1189 cum papa egisse, ut coronaret filium. Concedente papa, patre in terram

sanctam profecto, eodem anno expeditio in auctumnum a. 1190 indicta et ubique parata est. Cum autem Guilelmus II die 16. Nov. 1190 mortuus esset, *altera* expeditionis caussa accessit. Quas Godofr. Colon. prorsus narratione distinxit; tradita enim priore caussa (scil. de coron.) ad a. 1188, alteram, longo narrationis intervallo interiecto, ad a. 1190 refert: „Siciliensis rex obiit. pro cuius regno sibi vendicando rex expeditionem indicit et iurare fecit.“ *Eodem fere tempore* scil. nov. 1190 nuntius de morte Friderici allatus est. God. Col.: „in mense novembri rex in Apuliam proficiscitur. Sed audita morte patris —.“ Mutatis igitur rerum conditionibus, illud prius de coronatione consilium sublatum est et Henricus profectus est, ut patre mortuo imperator coronaretur et regnum Siculum sibi vindicaret.

Iam vero diiudicandum est, quid sibi voluerit ista coronatio, quam vivo patre Henricus erat accepturus? Fuitne eadem quam a. 1184 Fridericus frustra tentaverat? Quin tunc de coronatione *imperiali* cogitaverit minime dubitandum est. Id apparet ex illo papae responso: „non posse simul duos imperatores regnare“ et illo: „non posse filium imperialibus insigniri, nisi ea Fridericus prius deposuisset“ (v. p. 14. adn. 10a). Eadem ratione olim Lotharius Ludovici Pii filius et Otto II vivis patribus imperatores erant coronati[64]), et una cum iis regnaverant. — Nobis quidem a. 1189 *modo de coronatione regali cogitasse Fridericus videtur*. Quae God. Col. de „consecratione in augustum“ tradit ambigua sunt, immo potius regalem quam imperialem coronationem significant. Quae referunt Ann. Pegav. certe ad imperialem coronationem spectant. Sed quis nescit, auctores verba accurate distinguere non solere sed res verbis augere potius quam vera dicere inclinare? In diplomatis autem supra citatis nusquam de „imperiali coronatione“ dicitur, modo de „coronatione Romae peragenda“ et simil. Immo in literis Friderici, quae auctoritate certe alia diplomata a notariis aliisve conscripta longe superant, planis verbis de coronatione „in regem et reginam Romanorum“ dicitur. Quin vero v. cl. Mabillonio, qui illas exscripsit, fidem non habeamus, facere nullo modo possumus. — Fuit quidem Henricus iam a. 1169 rex

---

64) auctorum de coronatione Ottonis II. a. 967 facta, testimonia v. ap. Luden, Geschichte des deutschen Volks VII. 540. cf. 154. sq. — cf. Giesebrecht, deutsche Kaisergeschichte I. 495. 519. 826. Edit. II.

coronatus, eumque semper magnam auctoritatem obtinuisse, omnia fere maiestatis iura, quasi eadem potestate frueretur quam pater, exercuisse multis exemplis supra demonstravimus. Superfluum igitur videtur, Fridericum, ut iterum rex coronaretur Henricus, optasse. — Sed priusquam iter in terram sanctam fecit, tanta diligentia tantoque opere curavit, ut omnia bene ordinata, quieta et composita relinqueret, quasi numquam se rediturum plane intelligeret. Reconciliavit sibi archiepiscopum Coloniensem, in exsilium misit Henricum Leonem, divisit bona et terras inter filios, quasi faceret testamentum[65]). Arcte cum his contentionibus coniunctum esse arbitramur, quod filio iterum coronando operam dederit. Significavit haec a papa sollemniter repetita coronatio, Henricum etiam ab ecclesia successorem patris legitimum esse constitutum, non modo designatum a principibus et electum, verum etiam ab ecclesia confirmatum. Fridericus id egisse videtur, ut Henricus, legitimus successor ab omnibus sollemniter agnitus, periculis, quae ipso absente imperio imminere videbantur, imprimis a Philippo Coloniensi et ab Henrico Leone, eo maiore potestate et auctoritate posset resistere. Neque vana nos coniicere putamus, si Fridericum de imperiali coronatione, quam a. 1184 tentaverat, cardinales vero et *principes imperii* acriter recusaverant, moderatione satis sapienti utens, destitisse et modo de regali coronatione a. 1189 egisse credimus. Quam ut faceret, eo libentius concessisse Clemens papa videtur, quod Friderici iam senis animus ad faciendam expeditionem in terras remotas promptus, et liberandae terrae sanctae ad honorem dei et ecclesiae studium, benevolentissimum eum et amicissimum imperatori fecerant.

Exeunte igitur anno [illegible] Henricus rex in Italiam [illegible] est, per Alpium [illegible] [66]. [illegible]

---

65) [illegible]

66) [illegible]

excipiendum et ad exercitum alendum opus essent[67]. Opes illo tempore curiae defuisse ex eo satis videndum est, quod Henricus Burgum Sti. Domnini et Bargonem, imperii possessiones, episcopo Placentino, mille libris imperialibus receptis, pignori dedit. Simul foedus cum Placentinis iniit[68]. Pontremolenses eodem tempore in gratiam recepti sunt[69]. Quibus rebus Laudae, d. 20. et 21. ian. confectis, Cremonam rex venit, cui urbi ius monetas cudendi renovavit, et pacem inter Cremonenses et Bergamenses fecit[70]. Inde Bononiam pergens, die 13. febr. urbi ius monetarum cudendarum concessit et Gerardum archiepiscopum principis titulo auxit[71]. Ferraram a banno solvit privilegiaque vetera urbi confirmavit[72]. Apennino superato, Pratum, Luccam, deinde Pisam adiit. Cum hac urbe potentissima foedus iniit, et multis terris et magnis libertatibus promissis, auxilium contra Tancredum impetravit[73]. Genuam misit Guilelmum archiepiscopum Ravennatem et Arnaldum Stri-

---

67) *a*) Rudolfus Camerarius (de Sibenich) deputatus ad fodrum regale recipiendum d. 19 febr. 1191 in burgo civitatis Placentiae fodrum L librarum a Placentinis recepisse testatur. Poggiali mem. stor. di Piacenza V. 10.

b) Thomas de Nono, nuntius regis et totius taurentinensis epatus legatus et principaliter ad hoc missus fodra ab epo Taurinensi recepisse declarat. Historiae patr. monum. I. 969.

c) dipl. supra p. 24. spp. citat.

68) *a*) d. d. 21 ian. 1191. Poggiali V. 6. Affò stor. di Parma III. 299. cf. Chron. Placent.

b) 5 iun. 1191. „in obsidione Neapolis" Henricus illud dipl. confirmat. Simul homines de Burgo S. Domn. ut fideles Placentinis se praestent, hortatur. Affò III. 301. Poggiali V. 10.

c) 3 nov. 1191. Placentiae. — homines de burgo S. Domnini in praesentia Henrici VI fidem Placentinis iurant. Poggiali V. 13.

d) 26 apr. 1194. Aquis. Henricus VI recuperat B. S. Domn. et Castr. Bargon. Affò storia di Parma III. 302.

69) Poggiali memorie di Piacenza V. 8.

70) Chron. Cremon. (Murat. SS. VII.) Sigonius regn. It. 571.

71) Muratori Antich. Estens. II. 665. — Goldast constitut. III. 364. — Argelatus de monetis Ital. (Mediol. 1750) IV. 305. — Savioli annal. bologn. II. 2. 167. — datum est III. id. febr. — Böhmerus regg. legit „id. febr." Saviol. „II. id. febr." — Prorsus errant, qui dipl. ad id. ianuar. referunt. Quod primum fecit Sigonius R. I. 571. et quamquam regem mens. ianuar. aliis locis fuisse e dipll. intelligitur, tamen hoc erratum receptum est a Goldastio. Ex eo exscripsit Rousset in tom. suppl. ad Dumont corps univ. du droit des gens I. 1. 69. et Ghirardacci storia di Bologna (Bol. 1596) I. 101. — vid. itinerar. in append.

72) Würdtrein Nov. Subsid. XII. 36. — cf. Murat. Ant. Est. I. 358.

73) cf. itiner. in append. Diploma nondum editum citatur apud Roncionium, delle istorie Pisane libri XVI. Firenze 844. 8°. I. 422 sqq. Editio diplomatum, a Roncionio promissa, adhuc valde desi leratur.

ctum de Placentia cum literis, quibus multa et magna promisit, si classem pararent contra Tancredum[74]). Sic urbibus Lombardiae sibi reconciliatis et obligatis, Romam iter direxit. Iam in Tusciam venerat, quum de subita papae morte certior factus est. Clemens III d. 25. mart. defunctus erat[75]). D. 28. mart. a cardinalibus Hyacinthus Bubo, cardinalis diaconus S. Mariae in Cosmedin creatus est, qui, senex iam octoginta quatuor annorum, Coelestini III nomen sibi sumpsit. Missis a rege legatis, qui gratularentur eumque de coronatione adirent, papa se promptum esse respondit, si Henricus iura ecclesiae tueri et quae pater ecclesiae abstulisset, restituturum se esse confirmaret[76]). Quibus conditionibus ut plerumque ante coronationem regum latis statim Henricus annuit[77]). Alia vero postulatio rem distulit.

Etenim Tusculum, urbs imperatoribus semper fidelissima et Romanis per longum temporis spatium infestissima, cum Henricus adpropinquaret, ad eum miserat, praesidium erga hostium incursiones petens. Rex fidelitatem civium magni aestimans, et quantum locus imperatoribus arctissime confoederatus Romaeque vicinus valeret bene intelligens, praesidium illuc miserat. A rege, ut urbem Tusculanam traderet, postulatum est. Quod utrum postulaverint Romani an papa, et quae quibusque consiliis inducti et papa et rex et Romani hac in re egerint, constituere et explanare adhuc praetermissum est; neque id videtur facile factu, fontibus partim inter sese valde discrepantibus, partim non satis concisis, ex quibus res clare cognoscatur. Quare eo magis de hac re copiosius agere

---

74) De hac legatione v. Ottoboni contin. Caffari (Murat. SS. VI.) 364. sqq. et Stellae ann. Genuens. (Murat. SS. XVII.) 987. Legationis princeps fuit Guilelmus Astensis ep. et Ravennas electus. Testatur in dipll. dd. 11 et 13 febr. 1191. *Aepus* Ravennas primum nominatur in dipl. dat. 21 mai. 1191. Caffarius eum Ottonem appellans errat. Mortuo aepo Gerardo in terra scta., *Guilelmus* electus est. Cf. Ughelli I. S. II. 373. — Privilegium non tunc, ut refert Sigonius, sed inter obsidionem Neapolis datum est. V. infra.

75) Vitae pontif. 377. — sepultus d. 28 mart. Necrol. Cassin. (Murat. SS. V.) — cf. annali di Meo et di Murat.

76) Bened. Petrob. eumque ad verbum fere exscribens Roger. Hoved.

77) exstant literae Henrici VI regis rom., „per quas notum fieri vult universis, quod ipse iuramenta securitatis dom. papae Coelestino et cardinalibus et rerum suarum et Romanorum in coronatione sua eundo stando et redeundo facta in ipsius praesentia, et de mandato ipsius, per principes et barones rata habet et observare promittit." Mabillon. Summar. privileg. 1249

necesse nobis esse videtur, sane metuentibus, ne iterata longinqua quaestione lector benevolus valde defatigetur.

Iam primum illud constat, Henricum Tusculum papae, papa Romanis tradidisse. Confirmatur, ut praeteream scriptores partim minoris auctoritatis, partim posterioris aetatis, testimoniis duorum aequalium summa fide dignorum sc. Godofr. Colon. 469. ad 1191: consecratio procedere non potuit donec imperator castrum Tusculanum in potestatem pape et Romanorum contradidit. — Sicardi epi chr. 615. (Mur. SS. VII.): imperator apostolico dedit Tusculanum et apostolicus Romanis. (Cf. Memor. Potest. Reg. 1077: Coelestinus Tusculanam civitatem ab imperatore recepit et Romanis dedit et al.) Quare Richardum de S. Germano 972 et Ottonem de S. Blasio c. XXXIII, qui Henricum Romanis urbem tradidisse referunt, aut errasse, aut papam a culpa liberantes verum tacuisse aut denique hanc rem summatim modo narrasse arbitror. — Illud non est dubium, quin Tusculum se regi advenienti tradiderit. (Vid. Rog. Hoved. Chr. Ursperg. Sigonium XV. ad 1191.) Etenim quomodo Romani restitutionem urbis postulassent, nisi illa prius imperatoris praesidium recepisset?

Quae cum ita sint, primum quaeritur, quis restitutionem urbis postulaverit, papa an populus Romanus? Certe Romani. Nisi postulassent Tusculum a rege, papa urbem postea Romanis non tradidisset, Romani urbem a papa non petiissent. Romani per multos annos saevissimum contra Tusculanos bellum gerebant, iisdem dirutio urbis erat exoptatissima. Adiuvant hoc testimonia auctorum: Godofr. Colon. 469. ad 1191: erat Tusculum inimicum Romanis eo quod omne munimen imperatoris contra ipsos in illo constaret. — Otto S. Blas. c. XXXIII: Tusculanense castellum, quod asylum imperii contra omnes insultus Romanorum hactenus exstitit.

Iam perspicuum est, quare imperator non Romanis sed papae urbem tradiderit. Etenim Tusculanis praesidium miserat, omne auxilium pollicitus erat. Ne tradita urbe in manus hostium fraus omnibus pateret, papae tradere placuit, ut ab eo Romanis restitueretur.

Recte igitur Sigonius R. I. XV. ad a. 1191: „Henricus magna est consilii difficultate affectus neque enim Tusculanos hostibus prodere suae esse dignitatis putabat, et arma cum Romanis conferre bello Siculo, quod in manibus habebat, inutile existimabat;

demum media illa sententia placuit, ut Tusculum in manibus pontificis poneret. Quod cum sibi quoque placere Romani significassent, Coelestinus, recepto Tusculo — eum consecravit."

Quibus comprobatis, papam cum Romanis hac in re consociatum fuisse constat. Putasset enim fortasse quispiam, Coelestinum *sibi ipsi* Tusculum a rege postulasse et postea a Romanis esse coactum, ut illis eam traderet. Quae sententia, apud Calà, istoria dei Suevi nel conquisto dei regni di Napoli (Nap. 1660. 4⁰. p. 28.) defensa, refutatur eo, quod *iam ab initio* Tusculum Romanis esse restituendum erat constitutum. Quare *papa urbem modo ea ratione accepit, ut Romanis eam traderet.*

Tertiam de his rebus sententiam protulit Arnoldus Lubecensis X. 4. 4. quam v. cl. Raumerus (II. 356. ed. 3.) est secutus. Narrat ille auctor: „Videns Coelestinus regem cum multa iactantia venisse, ad protelandam eius consecrationem suam distulit. Sed Romani exeuntes ad regem, sic ei locuti sunt: fac nobiscum amicitiam et honora nos, et urbem iure nostro, quod exhibuerant reges, qui ante te fuerunt. Insuper fac nobis iustitiam de castellis tuis, quae sunt in Tusculano, quia sine intermissione nos inquietare non cessant: et erimus pro te ad dominum papam, ut coronam imperii super caput tuum ponat. Qui in omnibus ad voluntatem Romanorum se promptum exhibuit."

Primum quidem neque intelligi potest quid sibi velint illa: „venit cum multa iactantia" neque, *ob hanc caussam* distulisse papam consecrationem suam. Tum illa: „fac nobis iustitiam de castellis tuis, quae sunt in Tusculano" plane demonstrant, quod plerumque invenitur, Arnoldum, in rebus Germanicis auctorem satis certum, de rebus in Italia gestis male esse instructum. Castella in finibus Tusculanis imperatores non habebant, sed *illo tempore* Henricus *praesidium miserat* in *urbem* Tusculanam. Et ut praeteream alia quibus haec narratio refutetur: si Henricus se Tusculum Romanis traditurum esse promisisset, ut papam cogerent ad coronationem, (et qui hoc facere potuerunt?) quo modo fieri potuit, ut ipse papa Tusculum *ante* coronationem a rege reciperet?

Nos igitur, *consociatum fuisse papam cum Romanis contra Tusculanos pro certo habemus.* Neque desunt huius rei caussae: ipse fuit Romanus natione, natus nobili stirpe Orsina, Tusculanos-

que aeque ac Romani oderat[78]). Romanorum petitionem recusare non potuit, cum Romani paullo ante Clementi antecessori, ut ex exsilio Romam reverteretur, permisissent[79]). Denique ipsi Coelestino Tusculi, veteris imperatorum praesidii, dirutio non nisi exoptatissima esse potuit. Unde factum est, ut Romanorum petitioni indulgeret. — Neque praetermittendum est, quod Coelestinus consecrationem suam usque ad d. 13. apr. distulit, id est ad d. ante coronationem Henrici VI. Hoc modo etiam coronationem imperialem distulit, donec Henricus Romanis satisfecisset, eoque se omnino adiuvare Romanorum petitionem plane ostendit. — Denique exstant tabulae, quibus senatus populusque Romanus papae terram Tusculanam statim post dirutionem restituit (vid. adn. 85.). Apertum igitur est, hoc sibi papam a Romanis postulasse, priusquam eam iis tradidisset, vel etiam tradidisse eum Romanis urbem modo ea ratione, ut dirutione et vastatione urbis, persecutione et suppliciis civium iram et odium contra eos explerent, sibi vero ipsi possessionem terrae quasi praemium, quod a partibus Romanorum steterat, vindicasse.

Quibus omnibus dèmonstratum esse putamus, coniunctum fuisse papam cum Romanis.

Diffusius Rogerius de Hoveden de restitutione Tusculi agit. Cuius narratio consentit cum eo, quod supra demonstravimus. Papam convenisse cum Romanis de hac petitione eamque una cum aliis conditionibus regi proposuisse aperte tradit. Sed rem ex fontibus fide dignissimis constituere maluimus, quam Rogerii narrationem, de eius veritate non quaerentes, sequi, utpote qui de coronatione ipsa multa ficta dicat et aliis quoque locis falsissima afferat.

Quare, his omnibus constitutis, quae nonnulli tradunt, Romanos, cum Henricus VI coronaretur, portas urbis tenuisse clausas, omnino esse falsa apparet. Etenim cum Tusculi restitutio iis debuisset sanciri, priusquam Henricus coronatus esset, nullo modo intelligi potest quare Romani regem ab introitu urbis arcuerint[80]).

---

78) Pompeo Litta, famiglie celebri italiane. Milano 846. fol. Fascic. 62, tavola I.

79) Conventionem Clementis III cum Romanis d. d. 31. mart. 1188 edidit Muratorius Antiqu. Ital. III. 785.

80) Ita Raumerus II. 356 sequens Rogerium ab Hoved. Econtra Otto S. Blas c. XXXIII.: Heinr. rex a Coelestino papa gloriose susceptus, ab eoque omnium Romano-

Certo inhoneste et dolose papa egit, neque quisquam probat, eum tantae iniuriae fuisse participem. Solus Baronius, papae levare culpam tentans, dicere ausus est (annal. eccles. XII. 630. ed. Mansi): „Sic ulciscente numine cecidit Jericho, adversatrix Romanae ecclesiae (!). At vindicta ista plurima fuit admista misericordia, cum nonnisi in parietes fuerit vindicatum, liberis iussis exire civibus absque alicuius ex ipsis internecione" (!!).

Henricum VI vero non modo nefarie verum etiam imprudenter egisse arbitramur[81]). Urbis constanter fidelis in vicinitate Romae sitae possessio erat res tanti momenti, ut eam deserere nullo modo deberet. Dummodo non coronatus bellum Normannis intulisset. Iis devictis et occupata Apulia certo nullo negotio coronam Romae adeptus esset, et quum promissa Tusculanis, tum imperio magnum auxilium servasset[82]).

Tum Henricus prope urbem castra posuit. Coelestinus die 13. apr. ab Octaviano cardinali, Ostiensi episcopo consecratus, postero die d. 14. apr. 1191, secundo Paschatis die, in ecclesia S. Petri Henricum Romanorum imperatorem, Constantiam imperatricem coronavit[83]).

---

rum favore una cum coniuge in die scto pasche coronatus. — Chr. Weingart.: (Leibniz SS. I.) Heinr. Romam ingressus est et — gloriose consecratus. Idem testatur Sigonius. Cf. adn. 83. Quibus illa narratio prorsus refutatur.

81) pro hac re imperatori improperatum est a multis. Chron. Ursperg. — imperium in hoc non mediocriter dehonestavit. Chr. Ottonis S. Blas c. XXXIII.

82) Quantopere earum rerum historia ab iis depravata sit, qui posteris saeculis scripsere et quorum narratio per longum tempus optima habita, a multis exscripta, etiam nostris temporibus nonnumquam probata sit, videmus ex iis, quae unus eorum, Summontius tradit, quem, ut, qualis ei et ceteris fides sit habenda, omnibus pateat, hic citamus: (istoria del regno di Napoli. Nap. 1748. VI. voll. 4^{0}. II. 5.) Tancredi è re dichiarato. Il che inteso da Clemente III di ricuperarlo (il regno); per il che mandò un grosso esercito all' acquisto di quello, e pose tutta la Puglia e la Calabria sossopra. Ma venuto egli a morte, fu creato Celestino III, il quale volendo seguitar l'impresa, nel seguente dì, dopo la sua coronazione del 1191 dichiarò Imperadore Enrico VI con queste condizioni — che a sue spese dovesse per se acquistare il regno di Nap. e di Sicilia — —, e per meglio stabilire il negozio, cavò occultamente dal monistero di S. Salvatori di Palermo Costanza, la quale era Abadessa di quel monistero, ov' era stata 42 anni, ed era in età di anni 50, e — la diede per moglie ad Enrico, dispensando etc. — Non minus est depravata historia ap. Giovanni Villani, istorie Fiorentine V. 16. pag. 139. (Murat. SS. XIII.) et al. Cf. adn. 166.

83) Richard. S. Germ. 972. — Chron. foss. nov. — Ann. Argent. — Godofr. Colon. — Gislebert. Hannon. Chr. 405. — Bened. Petroburg. et multi al. — cf. an-

Sequenti die Tusculum Romanis traditum est. Urbs funditus diruta, igne vastata, bona direpta, cives trucidati aut crudelissime mutilati sunt. Omnes illius aetatis auctores detestantur saevitiam Romanorum[84]). Sigonius vera illa addit: „neque per haec tempora, quae secum ingentia Italicarum excidia urbium attulerunt, urbis clades aut tectorum disturbatione atrocior, aut acerbo inimicorum saevientium odio indignior fuit.“ Die 19. apr. terra Tusculana a Romanis papae reddita est[85]).

Post quindecim dies, quos Romae egit, imperator castra movit, frustra papa adhortante et precante, ne Tancredo bellum inferret[86]). Die 29. april. Ceprani imperator Lirim, Apuliae finem transiit[87]), cum exercitu satis magno et valido, quamquam Friderici I expeditio multos et bonos milites ab imperio abduxerat[88]).

---

nali di Meo e Murat. Quomodo coronatio peracta sit, Cencius cardinalis, Coelestini III camerarius, latius et prolixius descripsit. Cuius relationem denuo ed. Pertz Mon. Germ. IV. 187, quam ad coronationem Henrici VI referendam esse certis argumentis probatum est ibidem. — Ineptam illam fabulam, Coelestinum post coronationem pede coronam de capite imperatoris deiecisse, eoque se imperatori superiorem esse significasse, Roger. Hoved. protulit. Quam Baronius recepit, et Lehmannus, Speyerische Chronik Frkft 1698 fol.) diffuse lateque narravit. Atque nostris temporibus v. cl. Michaud eam veram habuit! (Hist. des croisades IV. 478. Paris 827.) — Iam a Muratorio in annal. plane refutata est. Cf. Cohn, dissert. de rebus etc. 52. Docta etiam de re tam inani scripta est dissertatio a Schröckhio, prof. Altorfiens.: Disquisitio de Henrici imp. Romana eaque ignominiosa coronatione. Altorfi 1737. 4⁰. — Auxilio Henrici, Leonis filii, apud papam intervenientis, imperatorem Henricum coronatum esse, quod Gerhard. Stederb. et al. retulerunt, docta et acuta Cohnii quaestione (de rebus etc. p. 51. § 6) penitus redargutum est.

84) Sicardus 615. — Chr. Ursperg. ad h. a. — Otto S. Blas. XXXIII.

85) Tabulae de restitutione terrae in potestatem papae exstant apud Murat. Ant. Ital. III. 787; („dat. XLVII anno senatus“) incipiunt: Nos Senatores almae urbis, decreto amplissimi ordinis Senatus, acclamatione quoque populi Romani, publice capitolio consistentes, constituimus —.

86) papa contradicente. An. Cass. — papa prohibente et contradicente. Rich. S. Germ. — cf. Petrus Ebul. I. 24. et Meo ann.

87) Chron. Foss. nov. 877.

88) Quosdam eorum, qui imperatorem secuti sunt, maxima ex parte ex dipll. quibus testes subscripti sunt, hic afferimus: Godefridus patriarcha Aquilei. — Aepi.: Philippus Coloniensis, Guilelmus Ravennas. — Epi: Conradus Argentinensis, Otto Bambergensis, Otto Frisingensis, Bonifacius Novariensis. — Duces: Otto Boemorum d. Conradus d. de Rotenburg, imp. frater. Bertholdus d. Dalmatiae et marchio Istriae. „Henricus de Bruneswic filius Henrici quondam ducis Saxonie.“ Henricus frater ducis Austriae. — Comites: Albertus de Bogen, Lambertus de Erfurt, Otto de Frankenhausen, Dietrichus de Hostaden, Guntherus de Kefernberg, Rabodo de Ortenberg, Gerhardus de Tollenstein, Boppo de Wertheim. — Nobiles: Krafto de Bocksberg, Robertus de Durne. — Ansbertus ed. Dobrowsky p. 107: erant in comitatu impera-

Dum haec in Italia geruntur, Tancredum res gravissimae in Sicilia retinuerunt. Etenim Philippus Augustus Francorum rex et Richardus Angliae rex iter in terram sanctam facturi, tempestatibus retenti, in Sicilia hiemare coacti sunt. Richardus vero, ubi accepit Johannam, ultimi regis scil. Guilelmi II uxorem, sororem suam, quam a Tancredo ad se remitti, poposcerat, vi et armis castella quaedem cepit, praesidia ibi collocavit, sororem illuc misit. Neque dubium est, quin affinitate cum Guilelmo usus, iure quodam hereditario totam insulam sibi subiicere tentarit. Quare exorta est seditio Messanensium. Qua sedata, altera maiore vi exarsit. Tum Angli urbem aggressi expugnarunt. A Tancredo pacem petente Richardus, quum avaritia, quam per totam vitam ostendit, ductus, tum atrocitate et ferocitate incitatus, ira commotus, victoria sublatus, immodica postulavit. Denique vero lenito animo, cum cognovisset, se non posse expugnare insulam eoque modo nocere et periculum afferre imperatori, cui et propter affinitatem cum Henrico Leone et propter inimicitias contra Philippum Augustum, imperatoris amicum, erat infestissimus — arctum cum Tancredo foedus iniit, quo promisit „se, quamdiu in regno moram faceret, ei auxilium praestiturum contra unumquemque qui vellet terram invadere aut regi bellum inferre,“ itaque omnibus se cum hostibus Henrici VI coniunctum esse patefecit.

Sic non modo Tancredus periculum amoverat, sed etiam socium arctissimo foedere coniunctum nactus erat. Constitutum est etiam matrimonium inter nepotem Richardi et filiam Tancredi. Contra Philippus rex uxorem ducere unam filiarum, ne offenderet imperatorem, Tancredo petenti recusaverat. Die 30. mart. 1191 Philippus rex vela in altum dedit, Accon profecturus, quem Richardus d. 10. april. secutus est. [89])

---

toris Otto qui et Cunradus dux Boemorum et H. frater Liupoldi ducis Austriae assumpto signo peregrinationis, qui quamvis regum omnium militare proposuerunt, domino tamen suo Rom. regi contra hostes imperii arma ferebant, ita videlicet, ut a suo proposito recedere non intenderent.

[89]) Duae contrariae de Richardi consiliis defenduntur sententiae. Quarum alteram O. Abelius (Kg. Philipp) protulit qui Richardum arcte coniunctum fuisse cum hostibus Henrici VI pro certo habet; altera probatur in dissertatione, quam nuper scripsit Lohmeyerus: „De Richardo I Angliae rege, cum in Sicilia commorante, tum in Germania detento“. Regimonti Pr. 857. 8°. qui Richardum Henrici hostium consiliorum participem fuisse prorsus negat. Nobis quidem hoc loco neque de Richardo in Sicilia commorante allatis et expositis scriptorum testimoniis disserere, neque de aliis rebus

Tum Tancredus, Henrico iam Romae adpropinquante, in Apuliam venit. Curia Thermolis celebrata, Rainaldum Aprutiae comitem, qui solus restitit, devicit. Deinde vero non apud exercitum remansit, sed Panormum revertit, sive confisus prudentia et virtute Acerrarum comitis magis quam suae, sive sperans commeatu et auxiliis missis maiorem se allaturum esse utilitatem, sive metuens seditiones, si procul esset a Sicilia — denique comiti Acerrarum defensionem regni concessit.[90])

De ipso bello breviter agemus. Etenim quum v. cl. Raumerus eius historiam magno cum ingenio narraverit et Italici quoque scriptores recentiores copiose et accurate rem tractaverint[91]), nos, ne eadem denuo proferamus in iis potius consistere et commorari melius ducimus, quae aut non satis liquent aut ab illis neglecta sunt.

Capta Rocca Arcis, quem locum Matthaeus Burellus defenderat,[92]) usque ad S. Germanum exercitus nullo impediente progressus est. Legati illuc missi omnes cives ad deditionem inclinatos invenerunt. Roffridus, Montis Cassini abbas, graviter aegrotans, instantibus capituli, imperatori faventis, precibus cedere coactus est. Sic et civitas et conventus imperatori fidem iuravit.[93]) Qui statim

---

gestis, quibus Richardus inimicissimum Henrico se praebuit, agere licet. Probamus vero omnino Abelii sententiam, neque nobis desunt argumenta, quibus speramus, fore ut alio loco latius et diffusius defendendi eam et constituendi potestas detur.

90) Utrum, quae tradit Chron. Neritinum (Murat. SS. XXIV.) ad a. 1191: Tancredi fortefecao Taranto, Brindisi, Oria, Neritò, Lezze, ad h. annum, an ad a. 1192, de quo nihil invenitur in Chr. referenda sint nescio. — Anon. Cassin. Rich. S. Germ. cf. adn. 127.

91) Citamus: Burigny, histoire génér. de Sicile. La Haye 1744. 5. 4⁰. — Capecelatro, istoria del r. di Napoli (Gravier raccolta I.). — Carusii I. B. Bibliotheca historica 2 voll. Panormi 1723. — Giannone, ist. civile del r. di Napoli. Haj. 1753. II voll. — Giannettasius, Historia Neapolitana. III. T. Neapoli 1713. 4⁰. — cf. annali di Meo e di Muratori. Nostris temporibus rem tractarunt: Di-Blasi, Storia del r. di Sicilia. 3 voll. Palermo 846. 8⁰. — Tosti, storia della Badia di Mte Cassino II voll. Nap. 842. 8⁰. — Zuccagni-Orlandini, corografia fisica, storica e statistica dell' Italia e delle sue isole. Firenze. 8⁰. — Pagano, ist. del r. di Napoli. III voll. Palermo 832. 5. 7. 8⁰. — cf. Bianchini, storia delle finanze del r. di Nap. Ediz. 2. Palermo 839. sqq. 8⁰ et Gregorio considerazioni sopra la stor. di Sicilia et al. opp., quae suis locis citabimus.

92) De Matth. Borello vide Antinori, memorie istoriche delle tre provincie degli Abbruzzi. (Napoli 1782. 4⁰.) II. 81. Petrus Ebul. I. 339. sqq. Roccam post deditionem S. Germani captam esse narrans certe errat.

93) De deditione S. Germani v. Tosti badia di Mte Cassino II. 177. Qui, quod paullo post Roffridus imperatorem Neapolim secutus est, credit „che il tenersi in letto

omnia abbatiae privilegia, quae ei oblata erant, praecipue Lotharii et Henrici IV imperatorum confirmavit eamque multis novis exornatam in suam tutelam recepit.[94]) Tum Sorella, Atinum, Theanum, Capua, Aversa, Arpinum, omnes urbes se dederunt, quibus suos castellanos praeposuit. Fundorum, Molisii, Casertae comites fidem iurarunt.[95]) Mense maio exercitus Neapolim venit. Illuc omnes regi fideles confugerant, in quibus Nicolaus Ajellus Salernitanus archiepiscopus[96]) et Acerrarum comes cum exercitu regis. Tancredus rex Aligernum Cottonem urbi praefecerat.[97]) — Henricus VI a terra operibus urbem cinxit, Pisanorum classis portum clausit. Nemo dubitavit, quin urbs expugnaretur. Quare Salernitani legatos miserunt, imperatori fidem iurarunt, ut imperatrix, dum Neapolis obsideretur, Salernum dignum haberet, quo procul a belli strepitu et periculis commoraretur, petierunt. Henricus petitioni annuens,

---

malato fu bel partito preso per coonestare in faccia a Tancredi la nessuna resistenza fatta all' imperatore."

94) dipl. dat. Acerris 21. mart. 1191. Gattula hist. Abbat. Cass. III. 269. cf. Tosti bad. d. MC. II. 177. „cum nos, pro obtinendo regno Sic. et Apul. *quod tum antiquo iure imperii* tum ex hereditate illustris consortis nostrae Constantiae — ad imperium deveniatur, exercitum — ad eccl. Cassinensem usque produxissemus c."

Alterum dipl. d. 23. mai. in favorem monasterii datum, (Taulerus, memorie istoriche della città d'Atina. 101. Gattula hist. Abb. Cass. III. 275. cf. Archiv der Gesellsch. f. ä. d. Geschichtsk. V. 329.) falsum habeo ex his argumentis:

1) Titulus Henrici est: H. imp. et rex Siciliae. Numquam vero ante coronationem suam in regem Siciliae, m. decembr. 1194 factam, H. VI Siciliae regis titulum sibi sumpsit.

2) verba diplomatis: „notum fieri volumus universis imperii nostri et regni Siciliae fidelibus tam futuris quam presentibus" post coronationem in regem Sic. dipl. datum esse demonstrant.

3) Conceditur monasterio monasterium S. Benedicti Salerni — Salernum vero demum 25. sept. 1194 expugnatum est.

4) Totum illud dipl. ad verbum congruit cum dipl. dat. Panormi 25. dec. 1194. Modo finis brevior est. Testes vero subscripti iidem sunt, qui in dipl. d. 21. mai. 1191 inveniuntur.

5) Cum denique dipl. d. 25. dec. 1194 d. sine dubio verum sit, etiam a Richardo S. Germ. commemoretur, dipl. d. 23. mai. 1191 d. copiam esse illius diplomatis, suppositis testibus diplomatis d. 21. mai. 1191 dati pro certo habeo. — Neque v. cl. Böhmerus dipl. recepit, et Meo XI. 57. id suspectum habuit.

95) God. Col. centum sexaginta castella numerat, qui imperatori se dederunt.

96) Vide de eo Ughellium I. S. VII. 407. sqq.

97) Neapolis tunc nondum ampla erat. Rogerio I regnante, circuitum 2363 pedum habuit. Sub Friderico II urbs florere coepit. Illo tempore praefectus a rege nominabatur, magistratus a civitate eligebatur. Vide Capacii historia Neapolitana. Neapoli 1617. 4°. I. XVIII. 148. Oppugnationem urbis optime narrat Petrus Ebul. I. 352. sqq.

Matthaeo Capuano archiepiscopo, qui in castris versabatur, ut imperatricem Gaeta, quo illam brevi ante miserat, Salernum duceret, mandavit.[98])

Inter haec advenit Margaritus, regis admiratus, vir, omnes suae aetatis nautas arte et ingenio longe superans[99]) cum classe septuaginta duarum navium et circumclusit Pisanorum naves. Vix illi per noctem in altum profugere.[100]) Tum patente maris aditu, milites et commeatus nullo impediente urbi adducebantur. Acerrarum vero comes, ne excursionibus vires diminuerentur, numquam ad proelium progressus est. Genuensium quidem classis ab imperatore exspectabatur. Legati enim ab illis in castra venerant, et multa et magna postulantes, quae concessa sunt, classem se esse paraturos declaraverant.[101]) — Sed priusquam advenit, Henricus obsidionem solvere coactus est. Aestatis calore, et rebus ad vitam necessariis deficientibus, morbi et febres gignebantur, quibus maior militum pars conficiebatur.[102]) Philippus Coloniensis archie-

---

98) Petrus Ebul. I. 410. sqq. — Chron. Ursperg. 282. (ed. 1609. fol.) non satis idonea tradit.

99) Exstat dipl. Margariti d. septembr. 1198 apud Pirri Sic. Sacr. (Archimandr. Messan.) 980: „nos Margaritus de Brundusio Dei et Regia Gratia Comes Maltae et Regis victoriosissimi stoli admiratus." — Fuisse videtur Margaritus Genuensis natione, ut plurimi Friderici II admiratorum (v. Winkelmann, de regni Siculi administratione, qualis fuerit regnante Frid. II. Berol. 859. 8^{0}. pp. 40. 41). Sed quibus haec res demonstraretur invenire non potui.

100) Rubeus, historiae Ravennatum. Venet. 1589. fol. Lib. VI. Ottobon. Cont. Caffar. lib. III. (Murat. SS. VI.)

101) d. d. 30. mai 1191. Mon. Patr. Hist. (Liber iurium.) I. 369. quia „non solum in terra sed etiam in mari gloriam et honorem romani imperii dilatare modis omnibus et corroborare intendimus ac desideramus," — „quia ianuensem ciuit. a prima sua fundatione caput suum inter alias ciuitt. maritimas altius extulisse et perspicuis uirtutum atque multarum probitatum operibus terra marique omni tempore prepollere ueraciter audiuimus" — concedimus — „in feodum — totam maritimam a portu monachi (Monaco) usque ad portum ueneris (Portovenere), conc. liberam potestatem eligendi ex se ipsis consules; conc. in feodum syracusanam civit. cum pertinentiis suis omnibus et ducentas quinquaginta caballarias terre in ualle noth (val di Noto); conc. in feudum in unaquaque ciuit. maritima, quo propitia diuinitate a nobis capta fuerit — rugam unam eorum negotiatoribus conuenientem; ut mercatores ubique libere possint habere suum pondus et suam mensuram." cet. cet. — Sequitur ibid. p. 373 legatorum iusiurandum, quo expeditionem Genuensium promittunt. — p. 374 foedus legatorum cum imperatore initum.

102) Eodem tempore (23. iun.) defectio solis accidit, quae motum auxit. De qua accuratius scribunt Mart. Polon. contin. 1415 (Eccard SS. I.): sol obscuratus IX cal. iun. feria tertia usque ad horam nonam. — Magn. Richersperg. ad 1191 (Böhmer FF. III.): facta est eclypsis solis in VIII Kal. iulii, luna XXVII existente, circa me-

piscopus[103]) et Otto Boemorum dux[104]) mortui sunt. Henricus Brunsvicensis, quum morbos metuens tum imperatori tunc facillime bellum moveri posse putans, ad hostes transiit et celeriter in Germaniam revertit, una cum patre bellum contra imperatorem paraturus.[105]) Ipso imperatore morbo affecto, die 24. aug. post obsidionem quatuor fere mensium exercitus abductus est, machinis obsidionis combustis.[106]) Quibus fames et calores et morbi pepercerant, ii per terras, quas ipsi, se facile victuros esse sperantes, incipiente bello insolenter devastarant, omnium rerum inopes et egentes, miserrime reverterunt. Imperator graviter aegrotans lectulo portabatur.[107]) Hostibus non prosequentibus, Capuam

diam diem, XIII decennovenalis cicli anno — Guilelm. Armoric. 70 (Bouquet XVII.): fuit eclipsis Solis in vigilia S. Joannis Baptistae, in septimo gradu cancri, luna exstante in sexto gradu eiusdem signi, et cauda draconis in duodecimo et duravit per quatuor horas.

103) mortuus est 13. aug. S. Gereon. Colon. 399. (Böhmer III.) — 15 aug. Caes. Heisterbac. catalog. 277. (Böhmer II.) Corpus Coloniam deportatum ibique d. 26. sept. sepultum. Ger. Colon. 399.

104) mortuus est 9. sept. Carnes in Mte Cassin. positae, sed ossa Pragam sunt deportata. Gerlac. Milov. ad Ansbert. ed. Dobrowsky 107. — „princeps illustris, probus et sapiens et satis literatus". Gislebertus 407. — Otto Cancellarius quoque ibi mortuus est. Contin. Claustroneoburg. II. 618. (M. G. XI.) — Chron. Austriacum 227. (Rauch SS. II.)

105) De proditione Henrici Cohnius in dissert. supra cit. tanta diligentia fontes collegit, tantoque ingenii acumine disseruit, ut rem repetere superfluum esset.

106) De infelici oppugnationis exitu plurimi scriptores retulerunt. — V. Chr. foss. nov. — Anon. Cassin. — Chronogr. Weingart. (Hess monum.) Caffari ann. 365. — Gislebert. 407. — Malvecii chron. — diem tradit Cronista di Sesto apud Meo XI. 46. — Dubito, num iure dicere potuerit Petr. Ebul. I. 510. sqq.:

Quid facis o Caesar, quid frustra menia temptas,
Obnebulant socios regia dona tuos.
Qui falso remeare rogant, ne morbus in artus
Fortius insurgat, qui grave reddat iter.

excepto Henr. Brunsvic. de nemine proditio traditur. Videtur hoc modo Petrus excusare voluisse imperatorem, omnemque ei de infelici belli exitu culpam demere.

107) Urbs manet invicta, rediit sine coniuge missa.
Salerni produnt, capiunt, misêre Panormum
Regi Tancredo de tanto munere laeto.
Morbo devicti remeant ad propria dicti.
Iudicio Christi remeant per rura relicti.
Vix superest tellus morientibus his sine ferro.
Rex Capuam venit, feretro se ponere fecit.
Et dux multorum lecto defertur equorum.

Carmen in Chron. foss. nov. — exercitus percellitur maxima mortalitate, vix paucissimis remanentibus, et hisdem pede repatriantibus, regina tamen captivata et ibidem confuse relicta. Cont. Cremifan. 547. (M. G. XI.)

et inde montem Cassinum venerunt. Tum imperator, qui a Salernitanis obsides fidei servandae acceperat,[108]) Salernum misit, qui Constantiam reducerent. Sed captam esse coniugem et Tancredo traditam renuntiatum est. Iam cum Salernum venisset, Constantia factionem regi faventem illic invenerat. Cum autem imperatorem obsidione destitisse nuntiatum esset; cum etiam eum mortuum esse rumor serpsisset,[109]) haec factio imperatricem ceperat Margaritoque tradiderat, qui eam Messanam ad regem duxerat.[110])

Imperator vero nulla re flectebatur. Postquam Roffridum abbatem obsidem secum duxit ad fidem servandam, et ob eandem caussam Gregorium eius fratrem duci Spoletano tradidit, per vallem Roveti sub praesidio Petri Celani comitis sibi fidelis iter fecit et medio novembri Genuam venit, ubi iam de nova expeditione cum Genuensibus egit, magnas iis libertates promittens.

Genuensium classis, quae triginta tribus triremibus constabat, ducibus Bellobruno et Rubaldo de Carmandino, d. 15 aug. altum petens, usque ad Castellum ad mare venerat. Sed cum audivissent, Pisanorum classem iam esse fugatam et imperatorem aegrotantem ab obsidione recessisse, Ischiam et inde Montem Cercellii redie-

---

108) Erant Aldrisius adiaconus et alii. Engelius, qui primus Petr. Ebul. edidit, ubique in eum errorem incidit, ut hunc adiaconum cum aepo, quem Petrus saepe „Praesulem“ nominat, confundat, etiam eos unum eundemque esse demonstrare summopere tentet. Nicolaus Ajellus, Tancredi affinis, aepus Salernitanus, *Neapoli* erat. Cf. adn. 96. cf. Petr. Ebul. v. 490. sqq. — Archidiaconus Henrico VI erat fidelissimus. Petr. Eb. 392. sqq. — Praesulem vero *regi* adhaerere et Neapoli versari demonstrant vv. 597. 601. sqq. — cf. Meo XI. 45. 50.

109) imp. est graviter infirmatus, ita ut dicebatur mortuus. Theutonici de rege alio iam tractabant et maxime dux Heinr., cuius filius Heinr. iam conspiraverat cum Thancrado, qui nuper reversus per Graeciam — — redierat. Ann. Stadens. 352. (M. G. XVI.) cf. Gislebert. 402. — Ann. Aquicinct. (Bouquet XVIII.) 427. — Arn. Lubec. IV. 6. — Neapoli idem rumor vagatus est teste Petr. Ebul. 545. — idem Salerni. Petr. Ebul. 591.

110) Vid. imprimis Petr. Ebul. I. 448. sqq. 665. sqq. qui rem diffuse narrat. — Cives Salernitani et ipsum imp. mortuum existimantes, qui ei antea favebant, ad gratiam Tancredi recuperandam imperatricem, quae in eadem urbe degebat, ceperunt et custodiae honestae mancipaverunt. Ann. Aquic. 542. — idem Anselm. Gemblac. 1000. — Constantia tumultuantibus turmis a parte adversa captiva abducitur. Ann. Reinhardsbrunn. ed. Wegelè 60. — Erravit igitur Gislebertus, dicens p. 407: Salernitani eam Tancredo, eius accepto auro, tradiderunt. cf. Sicard. chr. 615. — Guil. Neubrig. V. 7. — God. Colon. — Male has res referunt Otto S. Blas. et Chron. Ursperg. 232. — Recentiorum v. ann. di Meo XI. 53. — Sismondi, Histoire des républ. italiennes. (Zürich 807. 8⁰.) II. 272. — Cf. adn. 107.

rant. Secutus est eos Margaritus, sed, quamquam multo validior erat, evitavit proelium, quia Genuenses ad pugnam paratos invenit.

Civitate vetere ad imperatorem miserunt, qui tunc apud Montem Cassinum erat. Qui per Arnaldum Strictum iis praecepit, ut redirent Genuam, quo se paullo post venturum esse dixit.[111])

[111]) Caffari ann. III. 365. — Stellae ann. 987. — Sigonius R. I. 573. — Giannetasius hist. Neap. I. 323. — Ottobonus l. l. fugatum esse Margaritum, cuius classis 72 galeas numeravit, a Bellobruno, qui 23 galeas secum duxit, prae se fert. sed „è lo riputarsi una falsa ostentazione dei Genovesi" recte iudicat Di-Blasi, istor. di Nap. II. 282 b.

CAPUT IV.

De bellis a ducibus Henrici VI in Apulia gestis et de variis Tancredi contentionibus, quibus regnum firmaret.

Discedens ex Apulia Henricus VI multis locis praesidia distribuerat, praesertim Roccae Arcis, cui Diopuldum quendam,[112]) Sorellae, cui Conradum de Marlei,[113]) Capuae, cui Conradum Lutzelinhardum praefecerat. Conrado Lutzelinhardo iam Fridericus I Marchiam Anconae et principatum Ravennae contulerat. Italici eum vocabant „Muscam in cerebro“ (Muscaincervello) ob lepidum et ridiculum eius ingenium.[114])

Ab iis continuatum est bellum. Plerumque pugnatum est de castellis, quae, ad defensionem in multis bellis constructa et arte et natura aeque munita, Normannorum temporibus in Apulia erant creberrima. De hoc bello diffuse agere supersedemus, tum, quia ad discrimen rerum nihil affert, tum, quia fontium testimonia fere nusquam discrepant.[115])

---

112) De eius fortitudine canit Petr. Ebul. II. 71. sqq.

113) Et Roccae Sorae Conradus dulcis in ore.
Chr. foss. nov. 878.

114) Conradus ab Lützelhard „wahrscheinlich von Lützelhard gegenüber von Geroldseck bei Seebach im Badischen“ Stälin Wirtemb. Gesch. II. 109. cf. Raumer ed. 1. III. 24. — Petr. Eb. I. 607. 609. — Jäger, Geschichte Heinrichs VI. 55. — quem Italici m. i. c. vocabant eo quod plerumque quasi demens videretur. Chr. Ursperg. — Exstat dipl. quo monasterio Passiniani bona et iura confirmat d. d. 1193: „Conradus dei et domini imp. gr. Marchio Tusciae et totius Romaniae —“ Camici serie dei ducchi IV. 8. 104. — cf. Lami deliç. erud. IV. 319. — Conquestus est de eo Innoc. III. papa, quod „fratrem nostrum Ostiensem epum cepit et in vinculis posuit et inhoneste tractavit *de mandato imperatoris* (Henr. VI) sicut idem Conradus publice testabatur et sicut melius apparuit ex postfacto, cum non solum non fuerit evitatus aut punitus ab ipso, sed honoribus et possessionibus dilatatus. Epist. Innoc. III ed. Baluze I. 697. — Alius quoque „Conradus de Luzelenhart“ invenitur, qui a. 1193 d. 13. maii testis est privilegii Henrici VI sculteto Wolframo de Frankenfort indultum apud Francofortum. Lersner Frankfurter Chronica (1706 fol.) IIb 46. cf. Kirchner Gesch. von Frankf. I. 102.

115) Narratio sequitur hosce potissimum auctores: Rich. S. Germ. — Anon. Cassin. — Chron. Foss. nov. — Petrum Ebul. — Hoc loco citamus famosum illum librum:

Primum Richardus Acerrarum comes egrediens Neapoli, Capuam obsedit et cepit.[116]) Conrado, qui aliquamdiu in castello restitit, ut libere discedat conceditur. Atina, imperatoris castellano per insidias occiso, regi se dedit, qui Rogerio cuidam de Foresta praesidium urbis tradidit. Aversa, Theanum, tota Terra Laboris subiecta sunt. Venafrum obsessa et capta est, Rogerio Molisii comite, qui eo se receperat, ad deditionem coacto. Nullo fortiter resistente, usque ad S. Germanum regis exercitus progressus est, et hanc quoque urbem factione regi favente occupavit. Tum mons Cassini obsessus est. Roffrido in Germania commorante, Adenulfus, monasterii decanus, imperatori fidelissimus, huic loco praefuit et tanta constantia et fortitudine monasterium defendit, ut nullo modo posset expugnari. Papa, regi se favere non amplius dissimulans, Adenulfum et conventum interdixit. Cum vero ne hac quidem poena Adenulfus potuisset commoveri, ut imperatoris partes desereret, mense novembri ab obsidione recessum est.[117])

Historia de' Suevi nell conquisto de' regni di Napoli e di Sicilia per l'Imp. Enrico VI. Con la vita del beato Giovanni Calà capitan generale che fù di detto imperadore. Scritta da Don Carlo Calà, Duca di Diano, Marchese di Ramonte cet. cet. cet. Coll' aggiunta dell'opere d'antichissimi autori sopra la vita così secolare come ecclesiastica del medesimo Beato. Napoli 1660. 4⁰. — Quae enim illic narrata sunt, partim ex all. fontt. exscripta, partim fallaciter ficta sunt. Omnia quae de Johanne Calà, qui consobrinus Henrici VI fuisse eoque absente summum locum in Calabria tenuisse dicitur, narrantur, prorsus ficta sunt, ut iis Carolus Calà quidam, circa a. 1610 natus et postea dux Diani factus, gentem suam extolleret eiusque originem ad remota tempora reduceret. Hanc fraudem, quam ex locis libri demonstrare longum est (vide pagg. 35. 36. 62. 64) detexit Soria, memorie critiche degli storici Napolitani. (2 voll. Napoli 1781. 2. 4⁰.) sub „Calà".

116) Chron. foss. nov. 878. Richardi prudentiam in ignaviam vertens, dicit de eo:

Comes Acerrae sequitur, caput est quia guerrae.
Hunc statuit dictus regni dominumque magistrum;
Corde quidem parvus fuit hic sed corpore magnus,
Pulcher in aspectu, viso velut angue receptus
Et fugit in bello vel ferrum iungere ferro.
Nomine Richardus, nimis ad certamina tardus.

117) Legati curiae romanae cassinense monasterium, decanum et monachos interdicunt; nec hoc tamen separat eos ab imperii charitate. Anon. Cassin. — Hoc loco et infra auctor constantiam decani et fidelitatem monasterii supra modum laudibus etulisse apertum est. De interdicto dicit Tostius II. 180: Quelle censure non durarono lunga pezza, stante che a petizione di Giovanni cardinale, monaco Cassinense, il papa le ritrasse. — Inveniuntur vero literae Henrici VI ad papam, in quibus „*miratur imperator vehementer*, quia papa occasione imperatoris Cassin. interdicto supposuit et in monachos — excommunicationis sententiam promulgavit, rogat papam, quod interdictum relaxet et monachos absolvat et quod credat nuntiis suis super iis quae referent pro parte ipsius." Mabillon summar. privil. 1230.

Tamen tota fere Apulia in potestatem regis erat redacta. Qui nobilium imperatori adhaeserant, partim se dederant, partim, ut Fundanus comes, cui Henricus VI Suessam et Theanum tradiderat, aufugerant. Fundanus comitatus a Tancredo fratri Aligerni Cottonis, qui Neapolim defenderat, concessus est.

Mense Ianuario a. 1192 Adenulfus, copias suas cum Diopuldo coniungens, S. Germanum aggressus est, quae urbs, postquam acriter restitit, decano se dedit. Hoc fuit initium belli feliciter gesti. Diopuldus Soram cepit, et cum decano coniunctus, Palumbariam (seu Plumbariolam), Pinnateriam aliaque parvula oppida. Ineunte anno ipse rex in Italiam venerat.[118]) Nullo resistente usque ad Piscariam progressus est. Richardum Caleni comitem, qui Henrici VI partes iam deseruerat, exercitui praeficiens, in Siciliam revertit. Acerrarum comes eum secutus esse videtur, quia usque ad a. 1196, quo mortuus est, in his bellis non nominatur. Caleni comes et Rogerius de Foresta satis feliciter bellum gerebant, et mense iunio iterum S. Germanum oppugnarunt. Attamen nec vi nec insidiis nec largitionibus, ne cruciatibus quidem, quibus captum decani fratrem occiderunt, decanum ad deditionem commoverunt.

Tamen ille diutius regis exercitui, cuius vires in dies augebanbantur, resistere non potuisset, nisi auxilia imperator misisset. Iam cum Tancredus in Apulia feliciter pugnaret, Bertoldus comes de Kunigsberg imperialis legatus in Italiam venerat.[119]) Una

---

De Adenulfo dicit Tostius II. 178: Atenolfo da Caserta, decano del monastero, uomo, che non rigardandolo dal lato religioso, offre esempio splendidissimo della fortezza di che può temperarsi animo di uomo, e nel tener fronte armeggiando a' nemici poderosi per molte condizioni di cose, e nel tenersi costante nel proposto nel più forte incalzare della perversa fortuna e tra le tentazioni di tutte le umane blandizie: fortissimi spiriti, ardimento sommo aveva; non essendo guerriero, la guerra sapeva amministrare, impavido e formidabile nelle mischie, terribile nella vendetta. — decanus, sicut in monachatu monasticum sic in bello militarem gerens animum. Anon. Cassin.

118) Dipl. Tancredi dat. ian. 1192 Baruli. Mongitor Mansionis SS. Trinitatis monum. Hist. c. III.

119) „Bertoldus de Cunigsburg, Dei gr. imperialis aulae in It. et Ap. legatus" d. d. ante Camplum a. d. inc. 1193 m. maii. Ughelli I. S. I. 461. — Testis invenitur in dipll. Henr. VI:

1) apud Cesenam 25. oct. 1186 Bertoldus Legatus Ytalie.
2) „ Esinam 27. nov. 1187 Bertoldus legatus Italiae.
3) „ Hagenowe 5. mart. 1192 Bertoldus de Kunegesberc.
4) „ Werdam (Donauwörth) 20. ian. 1193 Bertoldus de chuningisberc.

cum eo revertit Roffridus, qui, comite in Tuscia ut copias colligeret commorante, praecedens et cum Adenulfo decano se iungens, felicissimo eventu pugnavit, Aquinum expugnans et usque ad Suessam incursiones faciens.

Tum comes Bertoldus cum exercitu, qui partim ex Theutonicis, maximam vero partem ex Florentinis mercenariis constabat, venit, primum Amiternum et Valvam cepit, deinde d. 12 novembr. Venafrum expugnavit. Rogerius Molisii comes, Tancredi parti adhaerens, celeriter Roccam Mogenul recessit, et hunc locum communivit; Rogerius de Foresta recedere coactus est. Initio 1193 imperatoris copiae ubique victrices processerant. Hoc tempore Bertoldus Conrado Muscaincerebro exercitum tradidit, dum ipse, ut Casertae comitissam uxorem duceret, recessit.[120]) Diopuldus illo tempore Campaniam ingressus est, et prope Capuam pugnam cum Tancredi exercitu iniens vicit et ipsum ducem comitem Caleni cepit, quem Roccam Arcis custodiendum misit.[121]) Sic regnum usque ad Capuam Henrico VI subiectum est. Fundani et Casertae comites suas copias cum imperatoris exercitu iunxerunt.

Tunc Tancredus, qui paullo ante Apuliam in potestatem suam redactam reliquerat, revertit ut denuo eam expugnaret. Sic quoad vixit de regno sibi servando dimicavit. Etiam cum in Siciliam anno antecedente rediisset, firmando regno operam dederat.

Constantiam imperatricem Tancredo traditam esse supra enarravimus.[122]) Quae res sane maximi momenti fuit. Etenim ut taceamus de eo, quod, quoad Tancredus Constantiam, regni heredem legiti-

---

„Berchtoldus nobilis de Chunisperch" cum Friderico I in terram sctam profectus erat. Ansbertus ed. Dobr. 66.

120) Sororem comitis Berardi de Laureto, Roberti Casertae comitis viduam. Chron. Carpinet. citat. ap. Meo XI. — Anon. Cass. — Chr. foss. nov. — Quare in dipl. Bertoldi adn. 119. citat. testis est: „sororius noster comes Berardus Laureto."

121) Rich. S. Germ. haec auctumno 1192, priusquam Bertoldus advenisset, gesta esse narrat.

122) Constantia Panormi servata ab omnibus traditur. Solus Petrus de Ebulo alia refert. Narrat, Constantiam esse receptam Messinae a Tcrdo, et ab eo ad Sibyllam reginam Panormum missam (I. 859. sqq.). Aepum Matthaeum, quum eam illic non satis secure custodiri putaret, suasisse, ut in castellum Salvatoris (castello del Salv. nunc cast. dell'Ovo, Neapoli situm) mitteretur (I. 955.). Inde denique liberam remissam esse. — Omnibus aliis auctt. eam Panormo esse reductam referentibus, tota hac narratione historiam poëtice esse exornatam credo. — Eandem sentent. probat Di Blasi II. 284a.

mam, in potestate sua servaret, legitime videretur possidere regnum, eoque populi animos in suas partes duceret — certe, ut, imperatoris iram et vindictam timens, eam reddere constituisset, tamen multa et magna tamquam libertatis pretium postulare, iisque regnum stabilire et pacem adipisci potuit. — Henricus VI vero a papa petierat, ut a Tancredo reddi Constantiam iuberet.

Coelestinum semper fuisse Tancredo propitium supra vidimus. Approbaverat eius coronationem, eiusque iuramentum fidelitatis receperat, imperatorem a bello contra eum retinere tentaverat, conventum montis Cassini interdicto puniverat, quod Tancredo restiterat. Eo magis mirandum est, quod Aegidium cardinalem diaconum Anagniae Panormum misit, qui postularet, ut Tancredus imperatricem statim redderet. Henrici imperiosas postulationes Coelestino, seni debili et fortiter agere numquam audenti, timorem incussisse pro certo habeo, verumtamen summum argumentum, cur tam inimice, ut videtur, contra Tancredum egerit fuisse puto, quod maxime optavit, ut rex cum imperatore reconciliaretur. Etenim Tancredo Constantiam captam servante, Henricum VI ad pacem promptum se praebiturum nemo, qui eius iracundiam cognoverat, sperare potuit. Attamen cum Constantia, quam rex Panormi summa reverentia et eximia observantia coluerat, multis et splendidis donis acceptis,[122a]) ad maritum reverteretur, sane, imperatorem magno et nobili Tancredi animo motum ad pacem inclinaturum esse sperare licuit.[123]) Multi Tancredum prudentius facturum fuisse credunt, si nullo modo Constantiam reddidisset, sed eius ut regni heredis praesentia utens, populi animos sibi obstrinxisset, et regnum suum legitimum constituisset.[124]) Sed

---

122a) Rich. St. Germ. 976. — Sicardus 615. — et al.

123) De captivit. Constantiae vid. auctt. adn. 115. citat. Non praetermittendum duco, quod Gislebertus de his rebus duobus locis (pp. 407. 422.) longe alia retulit atque omnes alii, tradens Constantiam a Panormitanis tamquam legitimam dominam esse honoratam eorumque auxilio, quippe qui eam captivam teneri aegre ferrent, invito Tcrdo liberatam esse. Errasse eum ex testimoniis aliorum elucet.

124) All' età nostra sarebbe stata cotesta un' occasione per Tcrdi di dare la legge ad Enrico e di ottenere per prezzo di questa restituzione non solamente il pacifico possesso de'suoi stati, ma qualunque altra più vantaggiosa condizione. I politici di questo secolo non avrebbero sicuramente consigliato questo principe a lasciarsi scappare dalle mani un' imperadrice, della cui vita e libertà dipendea qualunque diritto, che Enrico credea di avere sulla Sic. e gli altri stati posseduti dal re della medesima, come quella che era l'erede presuntiva della corona. Ma *nel cuore generoso* di Tan-

tantum abest, ut hac ratione commoverit Henricum VI, ut de bello desisteret, ut etiam acerbiorem eum et iracundiorem hostem sibi reddidisset. Constantiam vero remittens, spem pacis non omnino perdidit. Neque amisit Henricus VI sua in regnum Normannorum iura absente Constantia, quia *maritus* fuit reginae et heres legitime constitutus. Neque Tancredo licuit retinere Constantiam, quum papa, ut eam redderet, postulasset et, si Coelestini in se odium concitasset, periculum in quo versabatur valde auxisset. Quare eum *neque imprudenter neque ut dicunt generoso animo ductum* ita egisse credo, sed eum *in tantis angustiis necessitate coactum unum quod eligere posset idque prudentissimum* secutum esse arbitror.[125])

Papa igitur Constantiam, per Italiam iter facientem admonuit ut Romam veniret, quia de pace cum ea agere vellet. Sed, ut auctor illius aetatis tradit, Constantia viam mutavit, et Romam evitans, per Spoletum in Germaniam regressa est.[126])

---

credi non allignarono simili politici pensamenti. Di-Blasi II. 284b. — Similia apud Murat. Ann. — Meo XI. 61. — Tosti II. 183.

125) Et Otto S. Blas. c. XXXVII, quem adn. 126. citamus, et auct. annal. Aquic. in favorem imperatoris supra verum egressi esse videntur. Ille tradit (M. G. VIII. 429.), Tcrdum papae se redditurum spopondisse, „quicquid Apulienses duces illi abstulerant, si fidem, quam habebat cum Henrico, ad se transferret. Papam vero indignatum misisse duos cardinales. qui, si Tcrdus Cstiam remittere nollet, anathemate perpetuo eum cum parte provincie que ei favebat, ferirent." — Coelestinum pacem facere quaesivisse inter Henr. et Tancr. iis, quae supr. enarravimus et iis, quae adn. 126. afferuntur, demonstratum est.

126) Ita refert Anon. Cassin: Papa putabat Romae cum ea de concordia tractare. Sed eadem augusta urbis declinat ingressum et per Tiburim in partes Spoleti recipitur. Receperunt: Meo XI. 61. — Pagano, ist. di Nap. I. 420.

Contra Chron. Foss. n.: Aegidius cardin. — retulit Constantiam — et honorifice duxit eam Romam et sic dominus papa honorifice remandavit eam cum suis expendis imperatori in Alemanniam.

Sane difficile est, eligere inter contrarias narrationes duorum auctt. fide dignorum. Videtur verum tradidisse An. Cass. qui de Constantiae itinere accuratius erat instructus. — Chronici Foss. nov. scriptorem, qui modo Constantiam a cardinalibus reductam esse cognovisset, eam Romae honorifice exceptam esse, suo arbitrio addidisse credam. Errores igitur certe hoc loco retulit, sed addidit, quae *alioquin* vera fuissent, eaque *et tunc* accidisse credidit. Consilio et ratione eum verum reticuisse non putamus.

Praeterea God. Col: Constancia de partibus Apulie rediens, per Ottonem illustr. Rom. prefectum imperatori reducitur. Otto S. Blas. c. XXXVII: Apostolicus praesumptores huius rei (sc. captionis), terra eorum sub interdicto posita, anathemate constrinxit, imperatricemque captivitate relaxare coegit, quam postmodum — imp. recepit.

Tum omni spe pacis adempta, Tancredus statim alia ad firmandum regnum consilia cepit. Iam mense augusto a. 1192 Rogerium filium regem constituerat, filiam deinde ei Byzantini imperatoris Irenam desponsavit.[127]) Quo matrimonio Tancredus non modo familiam suam legitimorum principum familiis inseruerat, sed potentem quoque socium sibi comparaverat. — Aestate a. 1193 in Calabriam cum filio profectus, Brundisii sponsam excepit ibique nuptias summo splendore celebravit. Deinde adversus hostem cum exercitu progressus, apud Montem Fusculum castra metatus

---

Optime convenit cum sententia a nobis supra exposita, quod ex literis Henrici ad papam, quas exscripsit Mabillon. Summ. Privil. 1249. intelligimus, quod Henr.: significat respondendo litteris papae, quod de treugis faciendis inter ipsum et ecclesiam tractatum aliquem non admitteret, sed hanc pacem et concordiae reformationem affectat, *ut videl. regnum Siciliae tam iniuriose quam proditorie occupatum, ea quae deberet pace possidere valeret.* Super quo papam sollicitat, ut ad id exequendum curam adhibeat diligentem cet.

127) Rich. S. Germ. 972: rex (a. 1191) Brundusium se conferens, de filio Rogerio cum Isachio Constpolitano imp. de Urania filia sua contraxit et *nuptiis* apud Brund. *celebratis*, ibique filio suo *coronato in regem*, rex dictus cum triumpho et gloria in Siciliam remeavit. — Quem secuti sunt Muratorius, Giannonius, Raumerus, Paganus ist. di Napoli I. 415, etiam Di-Blasius II. 282b, qui res Neapolitanas multo cum ingenio et praeter ceteras praecellentes scripsit.

Aliter narrat An. Cassin. 72. ad a. 1193: rex in Apuliam veniens, *recepit* filiam imperatoris Consttani *in uxorem* Rogerio filio suo *dudum in regem coronato.* — Errasse Richardum et verum tradidisse anonymum nuper v. doct. Meo XI. 60. luce clarius demonstravit. Non modo ex temporis conditionibus errasse Richardum demonstrari potest — quod longum est — verum etiam ex dipll. Rogerium seu post ineuntem m. iulium seu m. aug. 1192 coronatum esse apertum est.

a) inscriptio quaedam Brundusiana sic finitur: A. 1192 regnante Tcrdo a. III. et feliciter regn. D. glorios. *Rege Rogerio fil. eius a. I,* mense augusto ind. X. (Meo XI. 67.)

b) dipl. Tancredi exit: a. 1193 m. iul. XI. ind. regni Tcrdi D. gr. regis Sic. Duc. Apul. Princ. Cap. a. IV. *Regni quoque D. Rogerii* D. gr. illustris regis, filii eius, *cum eodem d. gr. rege gloriose regnantis a. I.* (Meo XI. 71.)

c) dipl. Margariti exit: a. 1193 m. septembr. ind. XII. regni — Tcrdi a. IV. feliciter *regnante cum eo illustr. fil. eius Rogerio a. II.* (Pirri S. S. Messina.)

Rogerium aut exeunte m. iul. aut m. augusto 1192 regem factum esse ex his efficitur.

A. 1191 Rogerium ducem Apuliae factum esse, demonstratur hisce dipll.:

a) exit dipl. Tcrdi: a. 1191 m. maii Regni — Tcrdi a. II, *Ducatus* vero d. *Rogerii*, d. gr. gl. Ducis Apuliae, filii eius, *a. I.* (Tromby stor. del ordine Cartusiano IV. app. II. 239.)

b) aliud exit: d. a. 1191 m. aug. regni — Tcrdi II, *Ducatus* autem d. *Rogerii* glor. ducis Apuliae filii eius *a. I.* (Ughelli I. S. — epi de Anglona.)

His demonstratis, etiam de nuptiis An. Cass. vera retulisse arbitramur.

est.[128]) Comes Bertholdus prope eum apud Paludam castra posuit. Omnibus ad pugnam paratis, barones regi persuaserunt, non convenire ei pugnare cum comite, et comes metuit hostium multitudinem.[129]) Itaque uterque discessit. Tum Bertholdus castellum Montis Rodonis oppugnans, lapide ictus, interfectus est. Lutzelhardus dux creatus[130]) castellum summa vi oppugnavit. Quo capto, comitis mortem ulciscens, omnes quos invenit suspendit. Rex vero prospere pugnans, Roccam S. Agathae, cui Robertus de Calagio, comitis Andriae, veteris eius inimici, filius praefuit, tum Sabianum aliaque multa loca ceperat. Caserta oppugnata est, donec Guilelmus comes se dedidit. Usque ad Montem Cassinum rex profectus est, sed Adenulfus iterum constanter restitit.

Denuo fortuna et victoria Tancredo faverunt. Plurimis Apuliae locis captis, exercitu ad ultimos regni fines victore progresso, hostibus communi duce egentibus, regno novo foedere, filii regno firmato — iam Tancredus futuris rebus confidere et incursiones hostium feliciter repellere posse videbatur, quum eo ipso tempore miseriis succubuit. Morbo correptus rediit in Siciliam. Filius gravi morbo affectus paullo post mortuus est. Rex Guilelmum filium natu minorem adhuc parvulum puerum coronandum curavit, sed Rogerii morte gravissime afflictus, ipse die 20. februarii 1194 mortuus est.[131]).

---

128) Ad hoc tempus referendum videtur dipl. Tancredi ap. Ughellium I. S. IX. 294. d. apud Rossanum a. 1193 — alt. dipl. Tancredi d. apud Montem Fuscolum per m. Riccardi comitis Agelli d. d. inc. 1193 m. iulii. XI ind. citatur ap. Meo XI. 72.

129) Rex in consilio habens, quod honor sibi non erat cum Bertholdo congredi et Bertholdus cernens debiliorem partem suam, proelium sapienter declinavit uterque. Rich. S. Germ. — Paullulum aliter Anon. Cass.: die belli condicto pugnare volentem regem quidam de suis retrahunt. Inter moras autem exercitus imperialis penuria coactus redit in comitatum Molisii.

130) parte quadam exercitus dilapsa, dux eligitur ab aliis. Anon. Cassin.

131) Diem refert appendix ad Gaufred. Malat. — Chron. Foss. nov. — An. Cass. — Rich. S. Germ. — Ansbertus ed. Dobr. 121. — Cf. Mansi ad Pagium crit. Baron. ad h. a. 687. — Quae Baronius ad 1194 V. false retulit, iam a Meo XI. 75. correcta. — Ipsum Tcrdum Guilelmum coronasse constat. Quare, qui eum a Sibylla matre coronatum esse tradiderunt, Annal. Fuxens. 636. (Carusius I.) et Sigonius R. I. 577. errant. — Cf. quae addit Giannone 320. de Tcrdo. — Suspecta sunt illa Ottonis S. Blas. XXXVIII: Tancredo mortuo, optimates terre ipsius contra imperatorem unanimiter conspiraverunt subdique dedignantes, omnes advenas Teutonicos de civitatibus suis expulsos eiecerunt. — Quae Otto de rebus Italicis narrat, ea saepe a vero tantum distant, ut iis credere plerumque valde dubitem. — Neque vera illa Ann. Aquicinct. 429: (M. Germ. VIII.) papa — contra imperatorem filium Tancredi in Ap. Sic. et Cal. regem sublimat. Cf. de his auctoribus adnn. 125. 126.

CAPUT V.

De altera expeditione Henrici VI regnoque ab eo in Sicilia suscepto.

Nuntio de morte Tancredi allato, imperator statim expeditionem in Italiam indixit, sperans facili negotio se esse subiecturum regnum, quod Guilelmo III cum matre Sibylla regnante sine praesidio fuit, a nemine defensum, et confisus, fore ut omnes barones nobilesque sua sponte ad officium redirent. Iam tota Apulia, Lutzelhardo cum aliis ducibus post Tancredi mortem prospere bellum gerentibus, imperatori obtemperavit. — Neque minus opportunae res Germanicae bello Italico erant. Richardum Angliae regem, quem redeuntem a terra sancta Leopoldus Austriae dux captum imperatori tradiderat, Henricus contra omnes papae adhortationes vehementesque minas non nisi ingenti pecunia data, in libertatem restituerat.[132]) Qua pecunia usus est, ut maximas col-

[132]) De capto Richardo nuper scripsit Lohmeyerus, quem supra memoravimus, et Abelius (König Philipp 307. sqq.) Vide adn. 89. — Papam excommunicasse Henricum ob captionem Richardi, eamque ob caussam eum post mortem non esse sepultum, refert Rog. Hoved. Quem secutus est Baronius ann. eccl. XII. 676. 693. — Eadem sententia a multis recepta: Capecelatro 207. Ricord. Malasp. c. 88. Villani 141. etiam a Daniele, i regali sepolcri di Palermo. Saepissime etiam nostris temporibus probatam invenimus. Dubitant de veritate, sed non redarguunt illos: Mur. ann. Meo XI. 108. Cherrier I. 488. sqq. Di-Blasi II. 339 b. Primus Abelius 315. Henricum excommunicatum esse negavit.

I) Ob captionem Richardi Angliae regis Austriae dux excommunicatus est. Imperatori vero eandem poenam modo comminatum esse papam testimoniis praestantiss. auctorum constat. — II) Ne post captionem quidem nobilium in Sicilia a. 1194 papa eum excommunicavit. 1) epistola Coelestini ad Henr. VI d. 27. april. 1195, quam edidit v. cl. Jaffeus regg. pontt. (cf. App. ad Magn. Reichersp. 552.) papam cum imperatore fuisse reconciliatum demonstrat. 2) ipse Innoc. III in epp. I. 24. scribit: „Coel. papa auctores et fautores captionis et detentionis venerabilis fratris nostri Salernitani aepi excommunicationis nunciasset vinculo innodatos, nisi per imperiales nuncios saepe fuisset ei ac firmiter repromissum, quod idem aepus sine dilatione qualibet libertati redderetur.“ Denique Henricum solemniter esse sepultum testantur Otto S. Blas. Chr. Cremon. Sicard. Chron. Ursperg. God. Colon. et al. *Nunquam igitur Henricus fuit excommunicatus.*

ligeret copias et expeditionem quam vehementissimam pararet.[133]) Die 12. maii cum coniuge ab arce Trifels iter fecit, per totum imperium missis et precibus pro secundo belli exitu indictis.[134]) Comitatus est eum Henricus Leonis filius, qui post bellum a. 1193 gestum, quo imperator Henricum Leonem ut pacem faceret coegerat, matrimonio cum Agnete, Conradi palatini comitis filia et imperatoris nepte, inito, diuturna bella finiverat et amicitiam et benevolentiam imperatoris tandem recuperaverat.[135])

Per montium transitus quos vocant Splügen, iter factum est exeunte mense maio. Pentecostes festo Mediolani celebrato,[136]) seditionibus, quae Bononiae inter episcopum et plebem ex altera parte et inter nobiles ex altera erant exortae, compositis,[137]) exercitum Romam progredi iussit et ipse Genuam festinavit, ut cum Genuensibus de classe mittenda ageret. „Si per vos" eos allocutus est, „post deum regnum Siciliae acquisiero, meus erit honor, sed proficuum erit vestrum. Ego enim in eo cum Theutonicis meis manere non debeo, sed vos et posteri vestri in eo manebitis. Erit utique illud regnum non meum sed vestrum." [138]) His et aliis, quae privilegiis scriptis promisit, moti, classem Genuenses pararunt. Eodem consilio Pisam adiit, et similia quae Genuensibus promiserat, Pisanis concedens, eos quoque habuit amicos.[139]) Iam illic

133) Gesta Innoc. III. cap. XVIII. (ed. Baluze) et al.

134) Ann. Argent. 88. (Böhmer fontes III.)

135) De bellis cum Henrico Leone gestis v. Cohnii dissert. supra citat. — De nuptiis Henrici filii v. Guilelm. Neubrig. IV. 32.

136) Chron. Cremon. (Mur. SS. VII.) — Sigonius R. I. 577. — Cf. itiner. in append. dissert.

137) De his dissensionibus vide Saviolium annal. bologn. II. 187. qui Sigonii (R. I. 576.) et Ghirardaccii (hist. di Bologna 1596. p. 102. sqq.) narrationem optime emendavit. — Dipl. dat. 20. iul. 1194 v. Savioli II. 178. Memorie di Lucca IV. 122. Huillard-Bréholles, hist. dipl. Frid. II. II. 503. — Imp. in illo dipl. Gerardum epum vocat principem. Eodem modo eum epp. Aegidium Mutinensem et Albertum Vercellensem vocasse invenimus. V. de hac re Ghirardaccium 103. cf. adn. 71. — De rei publ. Bononiensis statu qualis fuerit illis tprbus disseruit Sismondi (rép. ital. Zürich 807.) II. 249.

138) Ann. Argent. 88. — Ottobon. contin. Caffar. ad 1194. — inter alia dipll. Genuensibus indulta inven. unum d. 4. iun. 1194 Placentiae, in quo dicit H. VI: cum ad expedicionem nostram pro regno Sic. et Apul. obtinendo *multis indigeamus sumptibus* — ordinauimus ut in ciuitate ianuensium de argento nostro moneta cudatur in forma ianuensium cet. Mon. patr. hist. (liber iurium) I. 410.

139) Exstat dipl. ap. Murat. Ant. Ital. IV. 473. Zaccariae excursus litter. per Ital. 196. — Lami. mon. eccl. Flor. I. 383. — dal Borgo racc. di dipl. pisani 24. —

legatos urbem Neapolim dedentes recepit.[140]) Roffridus, Fundani comes, multique alii imperatorem citra fines Apuliae exceperunt. Die 25. aug. Campaniam intravit.[141])

Pisanorum et Genuensium classibus coniunctis praefuit Marqualdus de Annweiler, imperii ministerialis, ad id commissarius imperialis missus.[142]) Praeter eum Obertus de Olevano Genuensium potestas et Bonifacius Montisferrati marchio summos tenuere locos. Capta Gaeta, d. 23. aug. venerunt Neapolim, quae fidem et obedien-

---

Hoc dipl. ab omnibus fere ad a. 1193 relatum est. Sed emendandum *1192*. Notae chronol. sunt: indict. XI. regn. XXIII. imp. II. Indictio ad a. 1193, numerus vero aa. regni (a d. 15. aug. 1169) et imperii (a d. 14. apr. 1191) ad a. *1192* dipl. referunt. Accedit, quod dat. est „vacante cancellaria". Primum dipl. in quo vacasse cancellaria traditur, die 16. febr. 1192 dat. invenimus, postremum d. 1. iun. 1192. Ab hoc die usque ad d. 3. iun. 1194 semper Siglous cancellarius invenitur subscriptus. Est igitur ad a. *1192* referendum. Quod vv. cll. Böhmer (regg. NN. 2781. 2801.) et Stälin (Wirtemb. Gesch. II. 131. 132.) unum idemque dipl. et ad a. 1192 et ad 1193 retulerunt miror.

Roncionius edidit epistolam Henrici ad Pisanos, quam, neque tempore quo scripta neque loco quo reperta sit, indicato, in Italicam linguam vertit. In qua dicit imp.: Facciamo sapere, como il viaggio nostro, destinato per andare in Puglia per negocii importantissimi del nostro imperio, l'abbiamo ad altro tempo transferito: la venuta nostra sarà al più lungo a mezzo maggio: ed allora vi esortiamo a venire — potentemente con noi nel regno di Sic.; certissimi d'avere dalla nostra mano a ricevere premii e doni degni di noi e del grandissimo nostro valore. Roncioni istorie pisane 1844. I. 429. — Eam paullo ante expeditionem scriptam esse apertum est. Quare, quae hîc Pisanorum legatis concessisse se dicit, non eadem sunt, quae iam a. 1192 iis confirmaverat. Unde, ut Pisani iterum ad eum miserint, sequitur.

140) An. Cass.: Neapolitani ex pacto iam Pisis habito se reddunt. — idem Rich. S. Germ. — Sigonius 577. et de hac re et de tota expeditione falsissima refert.

141) Imperatorem in hac expeditione secuti sunt: Aepi: Matthaeus Capuanus. Guilelmus Reginus. Guilelmus Ravennas. — epi: Wolfgerus Pataviensis. Conradus Wormatiensis. — Philippus frater imperatoris. — Duces: Ludovicus d. Bavariae. Henr. fil. Henrici ducis Saxonie. Conradus d. Spoleti. — Bonifacius marchio Montis ferrati. — comites: Sifridus de Morle. Albertus de Spanheim. Gerardus burggrav. Magdeburgensis. — mariscalci: Reimbodo de Voburg. Henr. de Calindin. — nobiles: Hartmannus de Butingen. Robertus de Durne. Waltherus de Eichelberg. Arnoldus de Horenberg. Henricus de Rotenburg. Conradus de Smidevelt. Blikgerus de Steine.

142) Sequimur Ottobonum 367. sqq. — Petr. Ebul. II. 59. diffuse de classe canens, ingentem navium multitudinem enumerat. — „Cum centum navibus aut plus" Chr. foss. nov. 878. — Annweiler est urbs prope arcem Trifels, quo libentissime impp. Staufici commorabantur. Marqualdus, imp. ministerialis, fere semper Henricum VI sequebatur. Sigonius 577. refert. misisse eum Henricum *ante* expeditionem, „ut Pisanos et Genuenses rem navalem expedire curaret." Idem Savioli 1194. II. Quia vero d. 9. maii, quo Henricus profectus est in Italiam, apud Trifels cum imp. versatus est, etiam dd. imperatoris 3, 4. iun., 1. iul. dd. testis subscriptus invenitur, una cum imp. iter eum fecisse demonstratum est.

tiam iuravit. Insulae Ischia, Procida, Caprae aliaeque subiectae. Tum, imperatore iubente, statim Messanam navigarunt, quo prosperis ventis d. 1. sept. advenerunt.

Imperator in expugnandis singulis oppidis, quae occupato solio nullo negotio subiecturum se esse bene intellexit, moram non faciens[143]) die 18. sept. Salernum venit, ab ea urbe ob captionem Constantiae a. 1191 factam poenam sumpturus. Postero die urbs capta, spoliata, diruta, concremata est. Ducenta millia unciarum auri capta esse traduntur.[144]) Deinde ad Farum profectus est, Roffrido exercitui praemisso, ut quae urbes sua sponte se dederent, eas in imperatoris gratiam reciperet. Melphae statim portas aperuerunt. Pauca oppida oppugnata sunt. Tota Apulia et Calabria subiectae. Exeunte m. octobr. Messinam imperator ingressus est.[145])

Priusquam vero advenit, gravissimae inter Pisanos et Genuenses discordiae illic erant exortae. Genuenses inducti vetere odio, quod privilegiis utrique urbi brevi ante concessis maiore vi exarserat, XIII Pisanorum galeas ceperant; Pisani vico, quo Genuenses habitabant, expugnato, quos invenerunt ceperant. Qua re audita Genuenses interfectis omnibus quos ceperant Pisanis, novum proelium pararunt. Marqualdus vero pacem restituit. De pacis conditionibus ab Ottobono Genuensi traduntur, quae vix

143) Rich. S. Germ. — An. Cass. — Chron. Foss. nov.

144) Venit per terram super Salernum et obsedit eam et secundo die obsidionis capta est civitas XV. Kal. oct. — et omnes fugerunt viri et mulieres et civitas depopulata est et dispoliata. Ann. Cavens. (M. G. V. 193.) — An. Cass.: Salernum vi caepit et in ultionem suae iniuriae habitatores partim gladio partim carcere, nonnullos exilio damnat, rebus publicatis et in praedam exercitus addictis. — Cf. Chr. foss. nov. Rich. S. Germ. Mon. Cass. Ann. Aquens. Ansbert. ed. Dobr. 121. Roger. Hoved. 746. — Petrus Ebul. II. 35. sqq. res tam diffuse narrat, ut eum suo arbitrio historiam exornasse perspicuum sit. — Radulf. Dicet. p. 649, col. 677. (Bouquet XVII.) quem secutus est Murat. ann., march. Mtis ferrati urbem expugnasse dicit. Sed iam 1. sept. classis Messanam venerat. — Cet. vid. itiner. in append.

145) Apuliae fines nullo obstante ingrediens, omnes recepit civitates, ad mandatum et fidelitatem suam convertens, Casinense abbate praeeunte, cuius fidei puritas satis erat ipsi imperatori experta, cui certam procuram auctoritatemque et potestatem contulerat, ut venire ad suam fidelitatem volentes, per eum veniam mererentur. Rich. S. Germ. — Modo: Capuani et Aversani nec se reddunt nec obsidentur. An. Cass. — nullo resistente per Calabriam venit Messanam. ibid. cf. Rog. Hoved. 746. — Otto S. Blas. c. XXXIX. hoc quoque loco non satis fide dignus videtur. Vide de eo Muratorium annal. ad 1194.

possunt credi.[146]) Dolendum est, quod nullus illius temporis auctor Pisanus de his rebus scripsit, quum Ottobonus odio contra Pisanos inductus saepe falsa referat. Neque is finis inimicitiarum erat. Quem repererunt Genuensium despoliarunt Pisani, et navem Genuensium, quae onusta Alexandriam vecta est, ceperunt. Obertus de Olevano sollicitudine harum rerum confectus mortuus est. Cuius exsequiis usi Pisani, dum Marqualdus aliique omnes nobiles extra civitatem essent, urbis munitiones capere voluerunt et interficere illos redeuntes, secreto adiuvantes Guilelmum regem. Sed prodita re nemo ex urbe exiit. Ita auctor Genuensis.[147]) Tandem, cum Genuenses, Messina relicta, expeditionem facerent ad subiiciendam eam, quae ad orientem spectat insulae partem, discordiae finitae sunt. Catana, quae iam se dederat, oppugnata est a Saracenis et ab iis, qui regiae familiae fideles manserant. Quos fugarunt Genuenses.[148]) Syracusis quoque post acrem oppugnationem expugnatis, haec Siciliae littora Henrico VI erant subiecta.[149]) Cum rediissent Genuenses Messinam, ab imperatore, ut impleret quae promisisset, petierunt. Is rem distulit, donec Panormum totaque insula essent subiecta.

Imperatore Panormum appropinquante, Sibylla cum filio,

---

146) Ianuenses restituerunt Pisanis M marchas argenti et corpora galearum eorum. Pisani — Ianuensibus reddiderunt: clypeum unum, caldariam unam pro solvenda pice, macios decem lini, sportulam unam cum pauco canellae et radice una galangae. Loricas et armamenta — vasa argentea, aurum, monetas et alias innumerabiles divitias et multum arnese, sibi praetermissis iuramentis, quae fecerant, retinuerunt. Ottobonus 369.

147) Seneschalco relatum per fideles et amicos suos, qui erant conscii secreta consilia Pisanorum, quod ipsi Pisani favebant uxori et filio quondam regis Tanclerii et quod ab eis literas et promissiones habuerant. Ottob. 369. 370. — Non dubitamus quin tantum eorum contra Genuenses fuerit odium, ut etiam eo commoti ad Normannorum partes transierint.

148) Versus Cathaniensium civitatem, quae reddiderat se et impugnabatur a Saracenis et exercitu reginae tenuerunt, et Saracenorum exercitum inde eiecerunt. Ottob. 370. — Num re vera *exercitum* collegerit Sibylla, dubitamus. Neque Saracenos in favorem Guilelmi III arma cepisse arbitramur. Minime vera, quae dicit Burigny hist. de Sicile VI. ad 1194: „les sarrasins, qui étaient en service de Guillaume III." Sed perturbatione rerum usi, *suis* commodis studuisse, diripuisse, incursiones fecisse videntur.

149) Quantopere Ottobonus Pisanos oderit iisque obtrectaverit, ex his videmus: de expugnatione Syracusarum dicit: — urbem ceperunt, nonnullis ex Pisanis interfectis. — et postea: Ianuenses plurima castra vicerant, Pisani vero nec per mare nec per terram amoverant se Messana!

[illegible]

[illegible] Erat An[illegible] Cass[illegible] qui deditum esse [illegible] tradit. cf. adn. 155.

[illegible] non potest. Dicit Raduli. Picet. p. 650. [illegible] Metropolitana sollemni processione receptus. X Kal. nov. regni

Iam nobis disserendum est de iis quae secuta sunt coronationem. In quibus narrandis historiae scriptores valde inter se discrepant. Instante nataliciae dominicae festo, monachus tradidisse Henrico VI epistolas dicitur,[156]) ex quibus intellectum est, coniurationem esse factam contra imperatorem omnesque Theutonicos. Principes coniurationis esse dicuntur regina, rex, Margaritus, archiep. Salernitanus, eius fratres, cet.[157])

Italici scriptores et coniurationem et epistolas fictas esse vo-

---

diadema suscepit. — Ad quae Meo XI. 85: non so vedere, poichè Muratori (annali) lascia dubbia l'asserzione di Radolfo da Diceto, che il dice coronato a' 23 dell' ottobre, non vi essendo alcun motivo da dubitarne. — Sed errasse Radulfum ex eo videmus, quod Henricum d. 28. oct. Messinam moratum esse ex dipl. constat. (vid. itiner.) Exstat quoque dipl. Guilelmi regis „una cum dom. Sibilia illustri regina matre sua regnante," dat. „in urbe felici Panormo p. m. Bartholomaei Pan. Aepi et Nicolai Salern. Aepi regis familiarium 1194 mense octobris, Ind. XIII. Regni Guil. I." — Denique d. 30. nov. Henricum Panormum venisse supra attulimus (adn. 153). Est igitur m. dec. 1194 coronatus. — Testantur hoc dipll. Constantiae quorum alterum exit: 1195 *Novbr.* ind. XIV. regn. Henr. XXV. imp. V. *regn. Sic. I.* (Huillard-Bréh. Hist. d. Fr.II.II. 343.) alterum: 1195 *decembr.* ind. XIV. regn. XXV. imp. V. *regn. Sic. II.* (Pirri S. S. 1293.) — Accedit, quod priusquam Guil. III. Panormum rediit et coronam tradidit, H. coronari non potuit. Henricus vero *post* suam Panormum introitum cum Sibylla convenisse ex Chr. foss. nov. et Rich. S. Germ. constat (v. adn. 154). — Annales Aquenses certum diem referunt: in die natali dom. apud Pan. in regem Siclum coronatus est. (Mon. Germ. XVI. 687.) Quia vero *soli* rem tradunt, eam credere dubito. — Quomodo cum his conveniat dipl. quoddam Comitis Ariani apud Mongitor. Mansio SS. Trinità p. 10. incipiens: „a. 1194 exeunte m. Novbr. Ind. XIII. Regn. Henr. — *a. I. regni Sicilie*" num ad a. 1195 pertineat, quia omnibus quae constituimus repugnat, an *ante* coronationem datum sit, discernere nequimus.

Constantia illis diebus Iesi in Marchia Anconitana Fridericum II peperit.

156) Inprimis Petr. Ebul. I. 217. sqq.

157) Inter tabulas quibus msc. carminis Petri de Ebulo exornatum est, invenitur una, in qua depicta est Sibylla sedens, anteposita mensa, in qua positus est liber evangelii, et ab utraque parte ad genua procumbentes plures homines sunt, qui manus in libro ponunt. Circumscriptis his nominibus: Uxor tancredi. Praesul salerni. Margaritus. Rog tharchis (?). Comes Rice. (= Richardus com. Ajelli.) Comes Rice d'a Gott (?). Eugenius. Comes W. d' marsicorum. Iohannes fr. praesulis Salerni. Com Rog avilian. Alexius servus tancredi. — Cum his conferenda quae tradit Ansbertus ed. Dobr. 124: — imp. revertitur. Maiores tamen et meliores, ne ullas vires resumere de cetero possent, secum in Teutoniam reduxit, quos etiam sub arta custodia in castro suo munitissimo Trivallis detineri et servari iussit, de quibus aliquorum nomina subiunxi: (aep. Salernitanus,) (comes frater eius,) Rugerius de tribus bysatiis, Iohfridus de Carbonar et alter de Marran, Wilhelmus de Boglyn, Rugerius nobilis, Rubertus de Cathanea, Tangredus de Tarsia, (Regina uxor Tancredi,) uxor filii Tancredi filia Ysaachii imp. Graecorum, (Wilhelmus filius Tancredi,) et frater eius, (?) (Margarita,) (comes avellinus Rugerius), Petrus fil. principis Sorentini, comes canilianus, (Eugenius) et alii plures. — (Quos etiam illa tabula nominat, uncis inclusimus.)

lunt ab imperatore, ut perderet nobiles regni. Scriptores autem, qui a partibus imperatoris stant et omnes fere Theutonici eam re vera fuisse credunt.[158]) Ipse imperator de hac re ad Rothomagensem archiepiscopum scripsit: „Cum quosdam magnates regni qui nobis satis contrarii primo exstiterunt, gratiam nostram recuperassent, ipsi postmodum nefandam proditionem contra personam nostram machinati sunt. Sed quia nihil opertum quod non reveletur, gratia Dei proditio illa fuit detecta et quorundam proditorum proditione manifestata, unde omnes eos pariter iussimus captivari et in vinculis detineri.“[159])

Rem discernere difficillimum est. Etenim ab altera parte facile credimus, illos cum regni cupidine tum odio Theutonicorum inductos fecisse coniurationem. Ab altera parte, quin Henricus, ut ad ea quae vellet perveniret, ficturus fuisset totam coniurationem, non dubitamus. Sententiam constituere non conamur.

Convocata igitur baronum concione, die 29. dec. epistolas ostendit, poenam proditorum poscit. Petro Celani comite solo omnium hanc sententiam probante, capti qui illic nominati erant, et Lutzelhardo traditi sunt.

Quae vero de poenis et crudelitatibus contra nobiles regni commissis traduntur, ea vix credibilia videntur. Nulla excogitari potest saeva et immanis crudelitas, cuius non hic vel ille auctor incusaverit Henricum. Alii alia referunt, suum quisque potius ingenium secutus, quam quae audiverat vel cognoverat, referens. Qua de re intentius agere omitteremus, sane metuentes, ne languescerent legentes, nisi fabulas, quae hodie quoque ita probantur, ut apud plurimos Henrici VI nomini crudelitatis saevitatisque nota adhuc inusta esse videatur, removere, et discernere res et distinguere nostrum esset.

Et quidem discernendum est inter eos scriptores, qui illo tempore vixerunt et eos, qui sequentibus saeculis eius historiam enarrarunt, neque minus inter eos, qui veritatem secuti sunt et eos, qui vel inimicitiis contra imperatorem commoti, vel ei blandientes vel eum metuentes historiam depravarunt.

---

158) Testimonia auctt. de coniuratione sequuntur infra una cum iis de cruciatibus.

159) Rad. Dicet. 650. col. 679. — Huillard H. D. Fr. I. 1. — Dat. apud S. Marcum 20. ian. 1195.

Ex praestantiorum illius aestatis auctorum testimoniis, quae infra adiungemus,[160]) hoc constat:

---

160) Italici, quos invenire potuimus, *omnes* afferimus:

Anon. Cassin.: imp., solemni curia in palatio habita, ostensis litteris, quas conspiratione quorundam Magnatum regni factas dicebat adversus eum, eundem Wilhelmum quondam regem, modo principem factum et plures comites et regni magnates in vincula coniecit.

Rich. S. Germ.: in die natalis dom. regens Panormi curiam generalem, praefatam Reginam et filium eius necnon et alios quamplures praesules et comites regni, quibus proditionis notam imponebat, iudicio Petri Caelani comitis capi fecit et ex ipsis quosdam orbavit, q. incendio, q. suspendio et q. in Alemanniam exilio destinavit.

Sicardus: Margaritum excoecans, et quos voluit captitavit.

Append. ad Gaufred. Malat: in quarto die post festum nativ. dom. cepit regem G. quantitatem comitum et baronum istius regni et devastavit eos.

Ann. Cavens. (M. G. V. 193.) cepit W. quem fecerant regem et matrem eius et sorores et aepum Salern. et fratres eius et multos alios et vinctos duxit secum in Alem.

Auctores Italici Henrico infesti: Chron. Foss. nov.: per sacramenta decepit regem et omnes comites et posuit eos in vinculis et in ergastulis et omne aurum et argentum, quod de regno ad manus habere potuit, congregavit et per terras et per mare in Al. misit, deducens secum ligatos regem et comites et quamplurimos alios in captivitatem.

Mon. Cass.: ostensis sibi fictitiis litteris et mendosis contra Sibiliam reginam et dictum Guil. filium eius atque alios qui se reddiderant ei et quibus ipse et principes eius omnes iuraverant servare fidem, subito cepit omnes, quos in Al. duxit et eorum plurimos exorbavit.

Theutonici:

Ann. Aquic.: Primates illius regionis, qui contra eum coniuraverunt et illum interficere disponebant, satis prudenti consilio cepit et incarceravit.

Ann. Argent.: capta uxore Tancradi et epo Salernitano et decem aliis eiusdem terre comitibus et maioribus, inter quos erat quidam pyrata precipuus, dictus Margarita, qui etiam divitiis et potentia comites anteibat, qui omnes in terra Teutonica per diversa loca positi sunt in artissima custodia, filium quoque predictum Tancradi cum tribus sororibus suis captivum abduxit.

Ann. Aquens. (M. G. XVI. 686.): rediit, ducens secum captivos, qui in mortem eius conspiraverant, scil. uxorem T., cum filio et duabus filiabus, et Margaritam principem piratarum et sedecim ex magnatibus tam Sycilie quam Apulie.

Cont. Admunt. (M. G. XIV. 587.): Margaritum cum aliis illius terrae principibus, vinculatum in Alam. abduxit et cecavit, quibusdam complicum suorum in vinculis occisis.

Cont. Cremifan. (M. G. XI.): galiottam potentem nomine Marg. aliosque potentes insulanos comprehendit et secum abduxit, thesaurum infinitum in auro et argento sibi conquisivit.

Ann. S. Rudberti Salisb. (M. G. XI. 778.): (regnum) cum palatio Panormitano et thesauris regum antiquorum infinitis obtinuit. Et Margaritam piratam cepit, et alios quam plures, qui contra eum conspiraverant, diversis suppliciis interemit. Filium Tanchradi et uxorem eius captivavit.

Ann. S. Pauli Virdun. (M. G. XVI. 501.): captivavit epos, comites et Margaritam et complures nobiles et reginam eiusdem regni, et eosdem preter epos et reginam iussit cecari.

1) Coniurationem Italicorum scriptorum plerique fictam, Theutonici factam esse credunt.

2) Italici de poenis accuratius narrant, Theutonici plerumque modo de comprehensione Margariti, clarissimi illius aetatis nautae et de divitiarum copia dicunt.

3) Praecipue ex Italicis cognoscimus, severissima Henricum de coniuratis sumpsisse supplicia.

Omnia vero, quae praeterea traduntur, nihil valent et omnino debent excludi. — Sic Petrus de Ebulo Henricum omni culpa liberat, et quum severe eum puniisse ex aliis sciamus, clementissime eum in coniuratos consuluisse latis verbis praedicat.[161])

Idem censemus de Ottone de S. Blasio, qui, de rebus Theutonicis multa et fide digna tradens, de Italicis saepissime fabulosa narrat et res confundit. Inter eos numeramus Rogerium de Hoveden, qui optime de Anglicis rebus instructus, de aliis rebus et inscientia et odio Henrici VI commotus falsissima tradidit. Quod exemplis demonstrare longum est, quod vero perlegenti eorum historias apparet.[162]) Eodem modo excludenda sunt, quae a

---

161) Petr. Ebul. II. 231. Henr. conquestus est:

Nec Christo Cayphas fecit, nec saevius Anna,
Quam mihi conscriptae disposuere manus.
Protinus armiferis pleno iubet ore ministris
Ut capient quosquos littera lecta notat.
Qui cito mandatis implent pia iussa receptis,
Infectos capiunt proditione viros.
Dampnatos ex lege viros clementia differt (!)
Et suffert pietas impietatis onus.
In condempnatos meritum sententia tardat,
Quo datur ut vinctos Apula dampnet humus.

162) Otto S. Blas. XLIX: exquisitis suppliciis affectis, miserabiliter eos enecavit. Nam Margaritum archipiratam, potentissimum illius terre baronem, cum quodam comite Richardo, litteris adprime erudito, oculis privavit et quemdam lese maiestatis convictum pelle exutum decoriavit; quendam vero regno aspirantem coronari, coronamque per tempora clavis ferreis transfigi precepit. Quosdam stipiti alligatos piraque circumdatos exurens crudeliter exstinxit; quosdam vecte perforatos ventretenus humo agglutinavit. Ac per hoc omnibus in transmarinis partibus, severitatem eius metuentibus, maximum terrorem incussit.

Rog. Hoved.: fecit effodi a terra corpora Tancredi regis et Rog. filii eius regis et spoliavit eos coronis et sceptris et ceteris regalibus ornamentis, etc. — Wilhelmum regem excaecavit et ementulavit.

viris Henrico infestissimis traduntur, scil. a Niceta et ab Innocentio III.[163])

Alia ab aliis.[164]) Fabulosa illa esse quae tradant, et ab ipsis auctoribus inventa, ex eo satis constat, quod alii alia referunt, quae quisque excogitare potest saevissima describit; tum, quod omnes vel non satis instructi erant de his rebus, vel nimio Henrici odio commoti falsa finxerunt; denique quod eadem res ab aliis ad a. 1194, ab aliis ad a. 1197 refertur. Neque minus eo refelluntur, quod postea et Sibylla eiusque filiae et Salernitanus archiepiscopus in libertatem restituti sunt.[165])

Cum vero scriptores posteriorum saeculorum aut non cognoscerent aequalium testimonia, quae, per saecula ignota, a v. cl. Muratorio tandem ad lucem omnia fere reducta sunt, aut, cum non discernerent inter auctores fide dignos et indignos, aut denique, cum exornarent ipsi narrationem horrendae saevitatis immanitatisque exemplis, quibus facillime capiuntur vel etiam delectantur hominum animi — factum est, ut illae fabulae repetitae et auctae sint a posterioribus. In quorum numerum habemus Sigonium, et imprimis Fazellum, qui etiam hodie magnam auctoritatem habet, omnesque, qui regni Neapolitani historiam compilarunt, quorum nomina afferre certe sufficit, ex quo, qualis iis sit fides habenda, cognoscatur.[166]) Eosdem exscripserunt, qui in nostra pa-

---

163) Nicetas ed. Bekker 635: ὃν μὲν διακεχαλακὼς καχλάζοντι λέβητι καὶ θεὶς ἐπὶ κανοῦ καθάπερ σῖτον ἐκπέπομφε τοῖς οἰκείοις, ὃν δὲ ἠκοντικὼς εἰς πυρὰν ἀνακαεῖσαν ἑπταπλασίως, ὃν δὲ ἐνσακκεύσας καὶ τῷ βύθῳ τῆς θαλάσσης παραπέμψας ἐξέτριψε κ.τ.λ.

Innoc. III epp. I. XXVI: usque adeo in eos furor exarsit, ut quidam eorum turpi morte damnati, in tribulatione cordis et corporis animas exhalarent; quidam membrorum mutilatione deformes, fierent abiectio plebis et ludibrium populorum, maiores vero ipsorum compedibus, et nobiles manicis ferreis alligati captivi — in Teutonia macerarentur cet. cet.

164) Chr. Ursperg. — Chron. Sicul: fecit comburi in plano Genoardi, quod est extra moenia palatii Panormi — omnes epos qui affuerunt coronationi regis Trankedi cet.

165) Innoc. epp. I. 26. — Gesta Innoc. III. c. 22.

166) Sigonius 578. — Fazellus de reb. Siculis. Panorm. 4° (anno non ind.) (nuper translat: della storia di Sicilia, tradotte dal P. M. Remigio. Palermo 817. III vol. 8°) ingentia ille autor narrat! — praeterea: Giov. Villani, historie Fiorentine. (Murat. SS. XIII.) — Summonte ist. del regno di Napoli. (Nap. 1748.) — Inveges, annali di Palermo. — Ricordano Malaspina, istor. Fiorentina. (Murat SS. VIII.) — Colennuccio, compendio dell' histor. del r. di Napoli. Venet. 1539. et al.

tria magna composuerunt chronica, ex quibus fere solis historiae scientia diu hauriebatur.[167])

Ita factum est, ut illae de immani crudelitate Henrici fabulae etiam nostris temporibus hic et illic emergerent, et iterum iterumque repeterentur.[168])

Nos vero, quae tradunt aequales sequentes, illas de direptis sepulcris, de interfectis prope Panormum episcopis, de castratione Guilelmi fabulas, omnia denique, quae diffuse lateque, quae accuratissime describantur, vana omnino fictaque esse, fore ut haec nostra investigatio perspicue demonstraverit, speramus.

Et quamquam tantam severitatem, quantam exercuisse Henricum optimorum auctorum testimoniis constat, minime probamus, tamen quibus excusetur, non desunt. — Illis temporibus talia supplicia erant vulgo usitata, neque singularis crudelitatis signa. — Accedit quod illos principes in Sicilia relinquere Henricus non potuit, quoniam quotiescumque potuissent seditiones novaque bella movissent. Si conspiraverant denique, quod, cum sola libidine commotum tanta supplicia sumpsisse Henricum vix possimus credere, factis videtur probari, Henricus magis ira incitatus quam considerate egit, aut, nullo modo nisi severitate Italicos sibi omnibusque Theutonicis tam infidos regi posse et subigi arbitratus est.

Sed de his satis; quae vera, quae falsa de hac re tradita sint discrevisse sufficit. Utrum quae fecerit Henricus probanda videantur an improbanda, num excusanda an damnanda, apud se quisque diiudicet.

Genuensibus imperator promissa non fecit.[169]) Neque, si consideramus, quam multa et quanta iis promiserit, umquam illa facere in mente ei fuisse putamus.

Narratione ad propositum finem perducta, pauca de constitutione regni Normannici regnante Henrico VI dicemus.

---

167) In animo sunt: Lehmann's speyerische chronik ed. Fuchs, Francof. 1698. fol. — Crusius schwäbische chronik ed. Moser, Francf. 1733. fol. I. pag. 674. 677. sqq. — Tschudy, chron. Helveticum ed. Iselin. Basil. 1734. fol. l. p. 69.

168) Lanza, sulla dominazione degli Suevi in Sicilia. Palermo 832. 8⁰. — Di. Blasi III. 335 b. 338 b. — Pagano stor. di Nap. (Palermo 832. sqq.) II. 1. II. 12. — Canale, storia dei Genovesi (Genova 844.) II. init. Etiam apud multos Theutonicos.

169) v. Ottobonum 371. 374.

Usque ad med. febr. in Sicilia commoratus est imperator, componendis constituendisque rebus Siculis summo opere studens. Deinde in Apuliam reversus cum captivis et maximis spoliis[170]) omnium baronum curiam Barum convocavit.

Illic res ordinatae et constitutae sunt. Et quidem regnum Normannorum Constantiae gubernandum traditum est. Quae Panormum profecta et ex eo tempore semper in Sicilia commorata est. Guilelmus Troianus episcopus Siciliae et Apuliae cancellarius factus est.[171]) Conradus Hildesheimensis electus reginam in Siciliam comitatus est. Qui vero eum in gubernando regno multum valuisse putarunt, vel etiam eum nomine Constantiae regnasse coniecerunt, errarunt. Etenim iam ineunte a. 1195 in Germaniam revertit et ex eo tempore sola Constantia regni gubernacula tenuit.[172])

Videmus ex dipll. quae dedit vivo marito, eam regnum fere sua potestate gubernasse. Rexit et Siciliam et Apuliam, leges constituit, controversias composuit et diiudicavit. Imperator quidem sum-

---

170) Inter res magni pretii, quas ex thesauris regiis secum duxit in Germaniam, fuit etiam pallium, quo reges Norm. dum coronentur vestiti erant. Hoc pallio, cuius margines latis inscriptionibus arabicis auro intextis exornati sunt, omnes deinceps imperatores in coronatione usi sunt. Asservatur nunc in aerario imp. Vindobonae, ubi nuper vidimus. — „The abbate Morso, who examined, copied, and translated the Saracenic inscriptions on the ceiling of the capella Reale (di Palermo), found one of them to be almost a literal repetition of the Saracenic inscription on the robe of honour wrought for King Roger by the Saracens of Sicily. The inscription is little more than an enumeration of excellent qualities, all of which, in the style of oriental hyperbole, are attributed to the individual sovereign. King Roger's robe was carried off to Germany by the Emperor Henry VI, which the other valuables of the palace of Palermo, and was subsequently used as the coronation-robe of the German emperors. In Germany it was known by the name of the Nuremberg robe, as the imperial regalia were formerly kept at that place.

The Saracens of Sicily wrought another robe of the same kind and presented it to the emperor Otho, when they wished to induce him to take up their cause. This robe afterwards became the property of the Emperor Frederick II and was found in his tomb, when it was opened in 1542. — see Discorsi di Gregorio (sopra la stor. di Sic.) II. 59. — Knight, the Normans in Sicily. London 838. p. 242. cf. 253.

171) Gualterius de Palena seu Palearia. canc. etc. subscriptus est in dipll. Henr. VI a d. 30. mart. 1195 usque ad 9. aug. 1197.

172) Vid. Lüntzel, Geschichte der Dioec. und Stadt Hildesheim. Hildesh. 858. 8⁰. I. pp. 483. 486. 487. 504. — A. 1196 in Italiam missus est: 1) „Nos Conr. d. gr. hildesemsis eccl. electus imp. aule canc. et totius Ytalie et regni Sic. et Apul. legatus“ d. d. 20. ian. 1196 ap. Burg. St. Domnini. Odorici (storie Bresciane. Brescia 858. 8⁰.) VI. 95. CCV. 2) idem d. d. apud Maiorem 30. iunii 1196. Ughelli I. S. VII. 302.

mus manebat dominus, et invenitur in dipll. Constantiae interdum formula: salvo cet. Multas vero et magnas res sola constituit et diplomata suis sigillis communivit.[173])

Quare alia fuit conditio regni Siculi regnante Friderico II, alia Henrico VI. Filius utrumque imperium ipse gubernavit, Henricus Germaniam ipse gubernans, Siculas res absens omnino Constantiae commisit. Henricus dum in Germania commoratur (1195—1197) *nullum* ad res Siculas spectans diploma dedit.

Hoc modo fecit, ut continuaretur Normannorum de Italia regnum, quo libentius et facilius Italici ipsi obedientiam servarent, regnante Constantia, quam legitimam dominam et regni heredem agnoverant.

Hoc modo Normannorum regnum Theutonicorum potestati subiectum est, et spes contentionesque maximorum imperatorum ad finem feliciter perductae sunt.

Attamen Henricus VI ne in hoc quidem acquievit. Id quod illis finis, ei initium et fundamentum maiorum fuit contentionum.

Iam reges Africae miserunt tributa, iam orientis reges, ut regna sua ab Henrico feuda imperii reciperent et a legatis imperatoris diademata sumerent, petierunt. Sic dilatata imperii potestas, et spes subiiciendi Byzantini imperii et restituendi antiqui imperii Romani concepta est.

---

[173]) 1) d. d. iun. 1196: Loco sigilli inpendens in cordula serica rubea cereae rubeae in capsula lignea appositae cum litteris et imagine ipsius imperatricis. Ughelli I. S. IX. 431. — 2) d. d. 15. apr. 1196: Costanza seduta, tenente colla destra un giglio con questa iscrizione: Constantia d. gr. Rom. Imperatrix semper Augusta et regina Siciliae. Pirri S.S. 115. — 3) d. d. dec. 1196: sigillo di cera che ha la sua imagine, a sedere con la corona in testa, con lo scetro nella destra, e co'l mondo con la croce di sopra nella sinistra; con queste lettere attorne: Constantia Rom. Imperatrix, Semper Ang. Regina Sic. Lello, chiesa di Monreale II. 42. LXVI. — Dipll. Constantiae, vivo marito data, quae invenire potuimus omnia, infra adiungimus, quibus quae supra diximus probentur.

Appendix.

I.

Stemma Normannorum.

Normannorum stemmatis auctoritas admodum dubia est. Etenim compositum est a scriptoribus posteriorum saeculorum fide non satis dignis. Pirri Chronologia (cont. in eiusd. Sicil. Sacra) p. XXIV. sqq. — Ioh. Villani storie Fiorentine IV. 18. — Summonte stor. di Napoli II. 2. 78. — Inveges annali di Palermo III. 479. — Giannone stor. del. r. di Napoli 320. — Bulifon, compendio delle vite dei re di Nap. I. 46. — Auctum quidem est multa cum diligentia et correctum in splendido opere Pompei Littae, famiglie celebri italiane. Fascic. LVII. dispensa 98. Milano 843. fol. quem et nos secuti sumus, sed hic quoque partim quae modo coniici possunt, pro certo nonnumquam habet, partim illorum errores recipit. Acuta quaestio adhuc valde desideratur. Nonnulla attulit Dufresne Ducange, les familles Normandes. (ed. apud Champollion-Figeac, l'ystoire de li Normant. Paris 835. 8vo. p. 333.)

Tancredus ab Alta Villa.

Robertus Guiscardus.

Rogerius I. † 1101.

Rogerius II.
1130 ab Anacleto II rex factus.
† 26. Febr. 1154.

Guilelmus I Malus.
† 7. mai. 1166.

Guilelmus II Bonus.
† 16 nov. 1189.
U. Iohanna, fil. Henrici II. reg. Angl.

Rogerius III.
† 1149.
ex Bianca, Roberti Licii com. fil. gignit:

Tancredus.
1190 rex creatus. † 20. ian. 1194.
U. Sibylla de Medonia, fil. Richard. com. Acerrarum.

Guilelmus. †

Constantia.
† 27. dec. 1198.
M. Henricus VI. Rom. Imp.

Rogerius V.
1192 rex coronatus. † 1198.
Nupta: Irena, fil. Isaaci Imp.

Guilelmus III.
1194 rex coronatus.
— captus ab Henr. VI.

Albinia.

Medania.

Valdrada (?).

Constantia.

II.

Itinerarium Italicum Henrici VI.

(1186—1195.)

Ne citandis diplomatis Henrici multis dissertationis locis moram faceremus, excerpsimus regesta Henrici VI, quae nos colligentes iam per annos, adhuc usque ad CCCLX diplomata (praeter spuria) auximus.

1186.

(Ind. IV. — 15. aug. regn. XVIII.)

init. ian.	Brixiae.	Malvet. Chron. 882. (Murat. SS. XIV.) — Brev. chron. Bresciana II. 471. (Zanetti Mon. e Zecche d'Italia IV.)
27 „	Mediolani.	Nuptiae cum Constantia.
11 febr.	Papuae.	apud Sctum Salvatorem. Ughelli It. S. I. 172. — Affò, Storia di Parma II. 392. 393.
23 mart.	Bononie.	Savioli ann. bologn. II. 2. 281.
14 apr.	apud b. S. Domnini.	Chron. Placent. ed. Huillard ad h. a.
30 „	„ „	Memorie Lucchese I. 198. — cf. Tommasi e Minutoli, Storia di Lucca 56. 66. (Archiv. stor. Ital. X.) (Mem. Lucch. I. 197. spurium esse dipl. putant, nullis argumentis allatis.)
3 iun.	in campo urbe veteri.	Dumont corps du droit I. 109. CXCIV. — Lünig, Cod. Ital. dipl. I. 350.
6 iul.	in obsidione urbis veteris.	sub temptorio regis henrici. Muratori Ant. Ital. IV. 471. — Lünig, Cod. Ital. dipl. I. 393.
—	—	venit rex henricus et subiugavit sibi totam Campaniam praeter Fummonem, et Castrum Ferentinum obsedit per novem dies et ivit super Guarcinum — hospitatus est in pede Castri per novem dies. Chron. Foss. Nov. ad h. a. (Murat. SS. VII.)
28 aug.	ap. Castrum S. Min.	Lami mon. eccl. Flor. I. 470. — cf. Lami deliz. IV. 101.
1 spt.	in Castro S. Miniatis	Lami mon. eccl. Flor. I. 341. — cf. Lami deliz. IV. 195.
8 „	in Castro S. Miniatis	Tommasi e Minutoli, stor. d. Lucca 24. (Arch. stor. It. X.)
26 „	Prati.	Ibid. 23.
6 oct.	Bononie.	Savioli ann. bologn. II. 2. 144. CCLXXXI. — Mittarelli ann. Camald. IV. 119. app. 153.
8 „	in loco Medesineo.	(nunc Medicina) Savioli ann. bologn. II. 2. 146. CCLXXXII. — cf. II. 1. 144.

17 oct.	Ravennae.	Fantuzzi, Monum. Ravenn. II. 156.
25 „	apud Cesenam.	Murat. ant. it. IV. 469. — Lami mon. eccl. flor. I. 380. — cf. Lami deliz. IV. 102.
27 nov.	Esine.	Ughelli It. S. I. 332. — cf. Mittarelli ann. Camald. IV. 86. — alt. dipl. ined. citatur ap. Stälin, Wirt. Gesch. II. 590.
3 dec.	„	Mittarelli ann. Cam. IV. 156.
13 „	Asculi.	(A. di Marca.) Ughelli It. S. I. 458. — vid. adn. 20.
25 „	Paviae.	God. Col. ad 1185. vid. adn. 20.

1187.

(Ind. V. — 15. aug. regn. XIX.)

28 ian.	Fulginei.	Mittarelli ann. Camald. IV. 123.
8 mart.	apud Aquampendentem.	Bussi, ist. d. Viterbo. 402. cf. 100.
6 apr.	Casali.	in episcopatu uercellensi. Hist. Patr. Mon. I. 945.
8 „	Voerie.	in episcopatu terdonensi. ibid.
17 „	ap. Burg. S. Domnini	Muratori Antich. Est. I. 353.
26 „	in burgo Mozami.	(Mezzano?) Huillard-Bréholles V. 355.
29 „	ap. Ficiclům.	(Fucecchio.) Lami deliz. IV. 196.
5 mai.	ap. Podium bonitii.	Mittarelli IV. 123.
21 iun.	Otricoli.	Raumer Hohenst. II. 549. (prim. ed.)
16 aug.	Imolae.	Mittarelli IV. 123.
19 „	Bononiae.	Lami mon. I. 342. — Lami deliz. XII. 1181. — Camici serie dei ducchi di Toscana IV. 5. p. 23. No. III.
13 sept.	Papiae.	Zaccaria, anecd. med. aev. 239. — Camici serie IV. 4. p. 100. No. XXI.
17 „	„	Ghirardacci hist. di Bologna I. 99.
9 nov.	Laude.	Huillard-Bréholles V. 353.

Init. 1188 Henr. rex revertitur in Germaniam.

Exeunte m. novembr. 1190 Henricus rex proficiscitur in Italiam.

1191.

(Ind. IX. — 14. apr. imp. I. — 15. aug. regn. XXIII.)

6 ian.	apud Bozanum.	Hormayr opp. II. LIV. — II. 196.
18 „	Laude.	Niesert Münster. Urkdbuch. V. 13.
20 „	„	Bonelli notiz. stor. della chiesa di Trento III. 39. — cf. Kink, Codex Wangianus 105. (Fontes rer. austriac. der k. k. Akad. in Wien T. V.)
21 „	„	Affò, Parma III. 299. — Poggiali mem. stor. di Piacenza V. 6.
—	Cremonae.	Chron. Crem. (Murat. SS. VII.) — Sigonius Regn. It. 571.
11 febr.	Bononiae.	Dipl. I: Ughelli It. S. II. 301. — dipl. II: Goldast constit. III. 364. — Murat. ant. Est. II. 665. — Argelatus de monetis Ital. IV. 305. — Savioli ann. bologn. II. 2. 167. — dipl. III: Moriondi mon. Aquensia I. 94. — dipl. IV: Mittarelli IV. 144.
12 „	„	Rovelli, stor. di Como II. 360.
13 „	„	Dipl. I: Rovelli, Como II. 361. — dipl. II: Murat. Ant. Est. I. 357. — dipl. III: Würdtwein Nov. subs. XII. 36. — cf. Mur. Ant. Est. I. 358.
18 „	Prati.	Ughelli I. S. III. 222. — Lami deliz. IV. 198 cf. 319.
22 „	Lucae.	Ughelli I. S. I. 850.
26 „	Pisis.	Lami monum. I. 203. — Lami deliz. IV. 199.
28 „	„	Dipl. I: Roncioni, istorie Pisane I. 422. — cf. Stälin Wirtemb. Gesch. II. 131. — dipl. II: Roncioni I. 424.
8 mart.	in castro S. Quirici.	Ughelli I. S. I. 1443. — Mittarelli IV. 131.
7 apr.	iuxta Cornazzanum.	in nemore. Muratori Antiq. Ital. I. 433.
10 „	iuxta lacum Anguillarum.	(nunc lago di Bracciano) Dümge, Regg. Badensia 149. No. 104.
14 „	Romae.	coronatur imperator.
17 „	inter urbem et Tusculanum.	in campestribus. Würdtwein Nov. Subs. X. 156.
19 „	in silva libertina.	Würdtwein Nov. Subs. X. 160. — Mon. Germ. IV. 194.
29 „	Ceprani.	transit Lirim, finem Apuliae.
21 mai.	Acerris.	Gattula hist. Abbat. Cassin. III. 269. — cf. Tosti badia di M. C. II. 177. cf. adn. 94.
25 „	iuxta Neapolim.	Lami monum. I. 671.
30 „	ante Neapolim.	Dipl. I: liber iurium I. 369. — dipl. II: I. 374. — cf. Caffari ann. Ian. 364. 5. (Murat. SS. VI.)
5 iun.	„ „	Dipl. I: Ughelli I. S. I. 641. — correct. ap. Reposati della zecca di Gubbio I. 396. — dipl. II: „in obsidione Neapolis“ Affò Parma III. 301.
8 „	circa Neapolim.	in castris. Lacomblet Urkb. des Niederrheins I. 369. No. 528.

17 iun.	ante Neapolim.	Miraeus opp. I. 554. — Huillard-Bréh. IV. 750. — Baudry, Annal. de l'abb. de S. Ghislain ap. Reiffenberg VIII. 429.
29 „	„ „	Ughelli I. S. I. 458. (ap. Ugh. legitur „Neapoli".)
24 aug.	„ „	obsidio deseritur.
21 oct.	Pisis.	Roncioni istorie Pisane I. 425.
31 „	Placentiae.	Campi, hist. eccles. di Piac. II. 72. — Poggiali mem. di Piac. V. 13.
3 nov.	„	Dipl. I: Affò istor. di Guastalla I. 350. —* dipl. II: Campi II. 72. — Poggiali V. 13.
11 „	Genuae.	Stella, ann. Genuens. 987. (Murat. SS. XVII.).
27 „	Papiae.	Lami Delic. IV. 204.
30 „	Mediolani.	Ughelli I. S. IV. 787. — Iricus rer. patr. libri III. 32. — Mon. Hist. patr. I. 976.
4 dec.	„	in camera aepi super palatium suum. Hist. patr. mon. I. 971.
7 „	„	Gatto, Gymnasii Ticinensis hist. et vindic. 109. — cf. Biffignandi, mem. istor. di Vigevano 63.
8 „	„	Benvenuto di S. Giorgio hist. Montisferrati 356. (Murat. SS. XXIII.) — Lünig, Cod. dipl. It. III. 1763. — Ghilini annali di Alessandria 14. — Guichenon Bibl. Sebusiana 215. (Hoffmann, nov. ss. collectio.) — Moriondi, Mon. Aquens. I. 91. Imperator transit Alpes.

1194.

(Ind. XII. — 14. apr. imp. IV. — 15. aug. regn. XXVI.)

		D. 9. maii imperator proficiscitur ab arce Trifels in Italiam.
22 mai.	apud Curiam.	(n. Chur) Ordin. Praemonstr. annal. II. Probat. p. LXX. — Tschudi, Chron. Helveticum ed. Iselin 95.
—	—	primo intravit Mediolanum, postea ivit Papiam. Chr. Placent. ed. Huillard.
3 iun.	apud Placentiam.	Muratori Ant. Ital. I. 843. — Origg. Guelff. III. 570. — Zaccaria, badia di Leno 132. dipl. XXVIII. — cf. Mem. Lucch. I. 179. — Poggiali V. 23. — Murat. ann. dubitat de veritate dipl., idem vero in antiquitatibus publicat nulla nota apposita.

4 iun.	Placentie.	Liber iurium I. 410.
7 „	—	exercitus venit in Roncalia et stetit ibi cum d. imp. per unum diem. Chr. Plac.
9 „	—	exercitus transivit per Placentiam et hospitatus fuit inter burgum Pontenurii et deforis illis partibus. Chron. Plac.
— „	Genuae.	Chron. Plac. — Caffari ann. Ian. 367. 8. (Murat. SS. VI.)
1 iul.	apud Pisas.	Origg. Guelff. I. 481. (Cal. Iun. pro Cal. Iul. impress.)
19 „	Pisis.	Margarino, Bullar. Cassin. II. 222.
20 „	„	Dipl. I: Memor. Lucch. IV. 2. 147. doc. CXIV. — cf. Tommasi e Minutoli, stor. di Lucca 23. — dipl. II: Savioli II. 2. 178. cf. II. 1. 201. (locus omittitur.) — dipl. III: Mittarelli IV. 153. (XX iun. pro XX iul. impress.) — dipl. IV: Passerini, della Origine della famiglia Bonaparte 79. (Archivio; nuova seria IV. 1.) — Huillard II. 503.
25 aug.	—	imperator intrat Campaniam Romanam.
16 sept.	ante Salernum.	} Annal. Cavens. 193. (Mon. Germ. V.)
17 „	expugnat Salernum.	
24 „	Salerni.	Archiv der Gesellschaft V. 329. — Meo ann. di Nap. XI. 87. (dipl. ined.)
28 oct.	Messinae.	Gallo ann. di Messina II. 68.
30 nov.	—	imperator victor intrat Panormum.
2 dec.	in palatio Panormitano.	Abel, König Philipp 311. (adn. 5. ad p. 26.) Unde Ab. literas illic citatas exscripserit nescio.
13 „	Panormi.	Pirri Sic. Sacra 1177.
25 „	„	Gattula III. 278—280. — Archiv d. Gesellsch. V. 329.
30 „	„	Pirri Sic. Sacr. 1132. — cf. Huillard I. 1. 12.

1195.

(Ind. XIII. — 14. apr. imp. V. — 15. aug. regn. XXVII.)

2 ian.	Panormi.	Margarino bull. Panorm. 227.
5 „	„	Fazello, hist. Sicul. I. VIII. 333. — Daniele (i regali sepolcri) 19.
11 „	„	Lello Chiesa di Monreale II. 40. LXIV. — Pirri S. S. 114. — cf. Mortillaro (catalogo dei diplomi nel tabul. della cattedr. di Pal.) 43.
14 „	„	Tabular. imperialis capellae in Panom. palat. 40. — cf. Huillard II. 471. 467.

20 ian.	apud S. Marcum.	Radulf. Dicet 650, col. 679. (Bouquet XVII.) — Huillard I. 1.
2 febr.	Messanae.	Pirri S. S. 980.
5 „	„	Inveges ann. di Palermo 476.
7 „	„	Pirri S. S. 1158.
25 „	Catanzarii.	Tromby, stor. del ord. Cartusiano V. app. 5. No. VII.
6 mart.	apud S. Maurum in Calabr.	Meo annali XI. 90.
15 „	Tarenti.	Böhmer regg. 2836.
18 „	in castro Venusii.	Mazochius (de cathedr. Neap. semper unicae variis vicibus 1751.) XXX. adn.
30 „	apud Barum.	Dipl. I. Costo (istoria di Montevergine 1591. 4to.) pag. non numerata. — Archiv der Ges. V. 329. — dipl. II. Ughelli I. S. I. 458.
3 april.	Barii.	Ughelli I. S. X. 298.
4 „	Bari.	Ughelli I. S. I. 1128. 1135. — Huillard II. 191.
10 „	apud Tranum.	Ughelli I. S. I. 460. — Sarnelli (epi Sipontini. Manfredon. 1680.) 181.
11 „	„ „	
12 „	„ „	Putignani (vitae S. Nicolai aepi Myrensis. Neap. 1757. 4o.) II. 471. — Huillard II. 173. Godofr. Colon. ad 1195.
15 „	Baruli.	Meo annali XI. 93.
23 „	apud Casale novum.	Pirri S. S. 532.
1 mai.	apud Esculum de Marca.	Ughelli I. S. VI. 700. 718. — Ravizza (dipl. della città di Chieti. Neapoli 832. 5. 4o.) I. 11. — Huillard III. 17.
20 „	apud Faventiam.	Mitarelli ann. Camald. IV. 153; app. 195.
24 „	Regii.	Tiraboschi memor. stor. modenesi IV. dipl. DCCLVII. — Huillard II. 417.
26 „	ap. burg. S. Domnini.	Tiraboschi memor. IV. dipl. DCXI. — Garofalo, tabularium reg. capellae D. Petri 50. XXXVII. — Affò Parma III. 306. — Huillard II. 420.
29 „	Placentiae.	Ughelli I. S. II. 174. — Affò Parma III. 307. — Muratori Antich. Est. I. 367.
31 „	apud S. Iohannem de Tavazano.	Muratori Antiq. Ital. IV. 703.
1 iun.	in palacio Mediolanensium.	Histor. patr. monum. I. 1025. Ughelli I. S. IV. 114.
4 „	Mediolani.	
6 „	ante portam Cumane civitatis.	Muratori Antiq. Ital. IV. 233. I. 621.
13 „	in lacu Cumano.	Ughelli I. S. V. 295.
8 iul.	ap. Frankenvort.	Monum. Boica XXXI. I. 457.

cet.

III.
Diplomata Constantiae vivo Henrico VI data.

1.	—	octobr. 1195.	Ind. XIV. (Pirri S. S. XV.) Mongitore (bullae et priv. Panorm. eccl. Pan. 1734. fol.) 62. — Mortillaro (catalogo dei diplomi esistenti nel tabulario della cattedr. di Pal. Pal. 1842. 8º.) 310. — cf. Pirri S. S. 117. — Donazione d'un Casale — fatta — alla ch. Palermitana *col consenso della imperadrice Costanza.*
2.	Panormi.	novbr. 1195.	Ind. XIV. Pirri S. S. 1179. Confirmamus Barensi eccle totam decimam reddituum et proventuum, *que ad nostrum fiscum pertinent* intra et extra civit. Barensem, sicut rex W. nepos noster precepit, decimam redd. et prov. casalis Johe ac totius terre Barensis, *que provenit ad demanium nostrum.* Clericos Barensis parrochie ab angariis et aliis servitiis liberos esse volumus. — nec liceat baronibus expellere clericos — nisi speciali mandato nostro. — *auctoritate nostra* statuimus et donamus, ut „quia civitas Catera (Cattaro) que est in Dalmatia, suffraganea est Barensis aepi," quod *ad honorem regni nostri* noscitur redundare, quotiescumque Catarenses cives ad partes Apulie venerint, de quibuscumque fuerint impediti non respondeant nisi in curia Barensis eccle. ad cuius cet. — privilegium nostrum conscribi et maiestatis nostre sigillo cereo iussimus roborari. — regnante d. nostro H. VI. d. gr. magnifico R. imp. s. aug. et rege Sic. gloriosiss.
3.	Panormi.	novbr. 1195.	Ind. XIV. Pirri S. S. 1179. privilegia monast. Roboris Grossi (dioec. Catana.) confirmat.
4.	—	decembr.	Ind. XIV. Pirri S. S. 1293. Monasterio S. Mariae de Noara (pr. Messinam) pascuam „per terram demanii nostri" et al. concedit. Regnante d. nostro etc. etc. regn. Sicil. II.
5.	Panormi.	ianuar. 1196.	Ind. XIV. Pirri S. S. 1177. Monast. S. Mariae de Josaphat in Paternis in praesid. recipit.
6.	Panormi.	15. aprilis.	Ind. XIV. Pirri S. S. 131. — Mortillaro 44. — Inveges (ann. di Pal.) III. 491. — Preposuit celsitudini

			nostrae Raynaldus Notar. et fidelis noster — quod quidam Barones et Baiuli Calabriae, qui super marinarios sunt, detinent ei villanos suos de Casali Lacus Nicotrae, quod de Panorm. Eccle tenet. Unde ostensis in curia nostra privilegiis, supplicavit Maiest. nostrae, ut villanos ei restitui praeciperemus — et quoniam ea quae a praegenitoribus nostris — collata sunt, violenter — non patimur detineri — Notario — dedimus potestatem, ut liceat eos — ad demanium Pan. eccle revocare, mandantes vobis iustitiariis nostris cet. — Si quis molestiam villanis inferre praesumpserit, iram nostri culminis se noverit incursurum.
7.	in urbe Panormi.	m. maii 1195. (corr. 1196.)	Ind. XIV. Ughelli I. S. IX. 294. Cum Cosmas Rossanensis aepus fidelis noster — Maiest. nostrae supplicaret, ut confirmaremus privill. eccle sue *a predecessoribus nostris* — indulta — confirmamus. Ad cuius cet. — presens privil. conscribi et nostre Mai. sig. cereo iussimus communiri. Regn. dom. nostro etc. a. regn. 26. imp. 6. Sic. 2.
8.	Panormi.	m. maii 1196.	Huillard-Bréholles H. D. Fr. II. I. 685. Recipit monast. Casa maris in Terra Laboris in praesid. et fratribus liberum in Sicilia passagium indulget.
9.	Panormi.	23. iun.	Ind. XIV. Ughelli I. S. IX. 191. — Huillard II. 391. (scribit Rogerio de Calo et Constantino de Tauromonte magistro duane) — aepus Cusentinus conquestus est, quod baiulus decimas tam de victualibus quam de aliis *redditibus nostris* persolveret distulit adimplere. Unde, *quia de voluntate dom. nostri magnifici imperatoris et nostra est*, ut debitae decimae — solvantur, mandamus quatenus — decimas — faciatis persolvere, ut nostra celsitudo de caetero nullum inde valeat audire clamorem.
10.	Panormi.	m. iunii 1196.	Ind. XV. Ughelli I. S. IX. 431. Ugo Squillacensis epus privil. ab illustri comite Rogerio avo nostro indultum et a dom. patre nostro famosissimo rege Rogerio inclytae memoriae confirmatum, ut renovetur, supplicavit. Confirmat. — Haec omnia volumus inviolata servari, *salvo in omnibus mandato et ordinatione* dom. n. invict. imp. et nostro et haeredum nostrorum. — ad cuius cet. ut supra.
11.	Panormi.	decmbr. 1196.	Lello II. 42. LXVI. dice, che essendo lite frà l'Avescovo Caro di Monreale e Corrado di Monte Fuscolo, Signor di Grumo, innanzi à lei un territorio

			di Bittetto che si chiama Visciglia, n'era stata data la possessione alla chiesa.
12.	Panormi.	april. 1197.	Ind. XV. Ughelli I. S. I. 1130. (scribit omnibus laicis Pennensis epatus.) Mandamus, ut iudicentur ab ipsa ecclesia de ipso adulterio, quod spectat ad iudicium ipsius ecclesiae. Et de eo quod spectat ad iudicium curiae nostrae et de insultu et violentia iudicentur ab ipsa curia nostra. *Salvis tamen in omnibus mandato et ordinatione* nostri serenissimi imperatoris et nostra et heredum nostrorum.